



M:2  
304.415  
<sub>1-4</sub>



Najkovits  
Decas Disserata.  
IL. IL. Pars.





J. IV. 8.

OSTEN

SB21960

OSZK

OSZEK

DE CENSORIA LIBRORVM  
**DISCIPLINA**  
LIBRI DUO  
CONSCRIPTI

A B

EMERITCO VAJKOVICS  
S. J. SACERDOTE,

ET

LIBRORUM REVISORE REGIO  
POSONII : 1767.

QUI SUBINDE

AB EODEM JAM EPISCOPO ALMISIENSI  
NEC NON CANONICO,

ET

PRÆPOSITO MAJORE M. E. COLOCEN.  
CONGRUIS ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATI  
ANNIS SUPERIORIBUS  
PARTE ALIQUA IN LUCEM  
PRODIVERUNT.

COLOCÆ

TYPIS SCHOLARUM PIARUM.



AD  
LECTORES.

*Vos & Lectores Librum reprehendi-  
te, quem non  
Multa dies, & multa litura  
Coercuit, atque  
Perfedium decies non  
Castigavit ad ungvem.*

*Horatius  
in  
Arte.*



Liber primus

seu

Decas

# DISSERTATIONUM

Ecclesiastico-Politicarum

de

Censoria Librorum Disciplina in Ecclesia Dei

Secundum Seriem temporum Usitata

Et ad nostram usque Aetatem perducta.

Auctore

Patre EMERICO Vajkovics

e S. J.

Regio Librorum Revisore

Posonii 1767.

Nunc vero EPISCOPO Almisiensi

Nec non Canonico, & Praeposito Maj. M. E.  
Colocensis.

Vulgata

---

Colocæ, Typis Scholarum Piarum, 1795,

ELENCHUS DISSERTATIONUM

*Dissertatio prima.*

De Origine Juris, quod Ecclesia habet in Censuram librorum, & de ejusdem usque ad Innocentium III. usu.

*Dissertatio secunda.*

De Forma Censoriae librorum Disciplinæ, quam Ecclesia a tempore Innocentii III. usque ad Leonem X. adibuit.

*Dissertatio tertia.*

De Censoria Librorum Disciplina a Leone X, usque ad Clementem VIII. producta.

*Dissertatio Quarta.*

De Clementis VIII. industriis quibus ille; Censoriam librorum Disciplinam multum perpolivit.

*Dissertatio Quinta.*

De Constitutionibus Gregorii XV. & Ur-

bani



bani VIII. ad rem Censoriam pertinentibus.

*Dissertatio sexta.*

De iis, quæ Alexander VII. in Censoria librorum Disciplina explicuit, aut innovavit.

*Dissertatio septima.*

De Via, & ratione, qua Benedictus XIV. artem librorum Censoriam ad perfectionem perduxit.

*Dissertatio Octava.*

De Indicibus Librorum prohibitorum, jussu Benedicti XIV. editis.

*Dissertatio Nona.*

De Clementis XIII. Pontificis maximi, & Augustissimæ Imperatricis ac Reginæ Mariæ Theresiæ conatibus Apostolicis, in librorum perniciosorum abolitionem impensis.

*Dissertatio Decima.*

In qua disquiritur: Num, & qua ratione  
com-

competat Principibus sacerdotalibus Jus Libros  
Censurandi.

*Ac Specialiter agitur:*

*De Disciplina Regiae Posoniensis Censuræ,*

## ADMONITIO

*Dissertationum barum, tres dumtaxat  
sunt Typis datæ, Prima nempe; Nonæ,  
ac Decima, exigentibus ita; Comitiorum  
Anno, 1790. & 1791. Continuative ce-  
lebratorum circumstantiis, ad restringen-  
dam videlicet; Typi licentiam, & impe-  
diendam Libertinismi contagionem: prout  
apparent ista, ex earum Praefationibus.  
Reliquæ autem inter Bibliothecæ Colo-  
censis M. S. affervantur.*

Liber

Liber Secundus  
seu  
Index Alphabeticus

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

In adjumentum Censuræ  
CONCINNATUS,

Quo nimirum  
Effet ad manum locupletior quædam,  
Quam quæ adhuc existare putaretur

Regula:

Facilius reperiendi vetitarum quarumvis  
Thesum fontes, textusque Originarios.

Posonii 1767.

Auctore P. EMERICO VAJKOVICS

e S. J. Jam vero  
EPISCOPO ALMISIENSI,

Nec non Canonico, &  
PRÆPOSITO MAJORE M. E. Colocensis  
editus Colocæ

---

Typis Scholarum Piarum 1795.

# PRÆFATIO.

P

Propositiones ( ut vocamus ) damnatas in ordinem redegi Alphabeticum , eo potissimum consilio , ut haberem ad manum indicem repertorium , quo levarer in munere Revisoris librorum , quod Regia authoritate , & Jussu Præsidum gero .

Accidit enim persæpe , tulique molestius , quod cum in recensione librorum , doctrina se mihi offerret damnata , non perinde inciderit , etiam locus , ex quo , sine mora rationem reddere possem : Cujusnam esset fætus Auctoris ? in quali Concilio ? a quo Pontifice ? quibus verborum formis ? quave sententia ? cur denique fuisset eadem proscripta ?

Exstant quidem Auctorum complurium in has commentarii , iisque alii , aliis spissiores , & magis contentiosi , quales sunt : Viva , Cardenas , & alii . Sed ego indice opus habebam , per quem directo ad fontes ipsos deducerer non vero longis interpretationibus , quæ mentem per ambiguas sententias , diducerent , ac velut in rivulos complures dissiparent .

Præstítit hoc in genere , non nihil commodi P. Didacus Duarte , nec non Anonymus Erroneus ( quemadmodum ille compellat ) Theologiæ collector : quorum alter , ad usum confessariorum brevem expositionem propositionum damnatarum ordine Alphabetico ador .

adornavit ; Alter vero easdem propositiones juxta seriem Tractatum Theologicorum digessit : in subsidium videlicet Professorum Theologiarum.

Ego , ut neutrius industriae , quidquam velim de tractum , ita comperi , eandem meo proposito nondum esse sufficientem.

Pater namque Duarte : propositionum illarum sensum; suis fere reddidit verbis , ipsas autem , ut sonant , ac proinde in quantum pondus Auctoritatis maximum habent , plerumque reticuit. Hinc factum : Ut ego nec a Commentatorum quidem , quorum opera utor , vocibus recedam facile : Ut qui non legum conditorem , sed collectorem dumtaxat agam.

Theologia vero erronea : ut ut Theses easdem , suis formis , propriisque sub imaginibus repræsentet , earundem nihilominus inveniendarum difficultatem non admodum imminuit. Sequitur namque (quod modo dixi) seriem tractatum Theologicorum , quos fit : ut cum una eademque propositio vetita , ad plures referri queat Tractatus , magnus subinde relinquatur dubio , ac quæstioni locus : An illa , in hac , vel alia Theologiarum errore parte sit investiganda.

Atque ( ut illud etiam addam , quod præterire nequeo ) duobus his Catalogis , nec tertiam quidem Propositionum damnatarum partem contineri. Mea autem hæc opella , inde ab Innocentio I. adeoque Sæculi sui initio , ad hodiernum usque Pontificem pertingit.

Ordi-

Ordinem ad hæc non solum contexit Alphabeticum, verum etiam copiosis admodum titulis eundem exhibet distinctum; quo nimirum: Separatione vocum majore, clarior evadat propositionum distinctio, laborque inveniendi reddatur facilior,

Quod, ut adhuc certius obtinerem; illud insuper studui, vel maxime: ut sententiam quamvis prohibitam, ei voci, seu titulo subjicerem, qui ipsius sensum principalem, ac (ut dicimus) characterem exprimeret.

Quod si alicubi a scopo aberravi, supplevi tamen defectum, adjectis ad calcem, materiarum; ubi opus erat, Titulis aliis, qui latentem fortasse etiamnum Thesim detegerent. Immo materias quasdam solis citationibus absolvo: eorum nempe: locorum, quibus eas perinde, aut etiam magis congruere Ju dicabam.

Moralis equidem, & dogmaticæ scriptoribus Theologiæ, nihil puto posse accidere commodius: Quam una sub voce, ceu titulo Collectas reperire reprobatas ab Ecclesia Propositiones, ad propositum sa cientes.

An vero index iste meus Professoribus quoque, & Confessariis novum quodpiam adserre possit com modum, inveniendi promptius, quod nonnunquam quærendum est? Isthuc equidem animum impræsentiarum non attendi, qui cum hæc agerem, curavi unice, ut muneri meo exequendo, fierem magis idoneus.

Spero

Spero tamen, quin, & fructus eodem quoque polliceri audeo, quos ego, quoties adhuc usus tulit, uberrimos hinc reportavi: Redempto vide-  
licet tempore pretioso, per rei inventæ celerita-  
tem: cuius, secus certissimam facturus eram jactu-  
ram, mora inquisitionis. Exemplo pro renata sit:  
Opus, quod, dum hæc colligerem, sub manus ve-  
nit: Revidendus absque mora erat Liber cui Titu-  
lus: *Pastor bonus*, a quo certe ita celeriter, ut pe-  
tebatur, vix me expeditivissem, nisi Index hic fuisset  
mihi adjutorio. Quantum autem fuerit hoc adju-  
torium, quamvis ex parte tantum, satis tamen, in-  
dicant ea, qnæ inferius voce: *Opstrædt.* adnotata  
habentur. Quod igitur mihi tunc fuerat, poterit  
alias etiam, aliis commodo esse.

Vadimonium nihilominus istud, haud alia in me conditione suscipio: quam si Professor, Confessari-  
usve, non fuerit aspernatus legem: quam ipsis  
ego, dum ista colligerem, præstitutam me habuisse,  
paulo ante commemoravi.

Non esse nimirum: Thesim, quam præsens v.  
g. occasio petiit inveniri, sub obvia quavis illius vo-  
ce, cæco quodam modo inquirendam: Sed co-  
gitandum paulisper, atque apud animum determi-  
nandum esse illius characterem, scopumque dam-  
nationis præcipuum.

Hac enim demum ratione, via recta, adeoque  
brevissima venietur ad terminum, qui fuit uni-  
cus

esus, aut certe potissimum suscepit hujus opusculi finis.

Utebatur eodem Excellentissimus Dominus Episcopus Georgius Klimo, quamdiu Posonii agebat Præsidem Commissionis ad negotia Religionis institutæ. Quod sane haud levi argumento fuerit: Collectionem hanc, Magistratibus quoque ac Dicasteriis, quibus Librorum Censura concreditur, usui esse posse. Neque enim recepi illam a laudato Præfule, nisi post complures annos a Successore ejusdem: Excellentissimo Domino Episcopo Francisco e Com. Berchtoldt. Et quidem cum approbatione M. P. Subscripta, quam tamen ab hodierna quoque Censura obtinui.

### Nomina Pontificum, & Conciliorum.

Ex quorum decretis excerptæ sunt Propositiones damnatae fere omnes, quæ hoc Indice continentur, sive directe, ac prout Verba jacent, sive indirecte, oppositæ nimirum: Veritatis allegatione, sint reprobatae. Fuere autem

### Summi Pontifices.

Alexander. VI. VII. VIII. Benedictus. XI.  
XII. XIII. XIV. Clemens. V. VI. VIII. X.  
XI.

XI. XIII. Eugenius. III. IV. Gelasius. I.  
Gregorius XI. XIII. XV. Innocentius, I. III.  
VIII. IX. X. XI. XIII. Joannes. XXII. Ju-  
lius. II. III. Leo. X. Martinus. V. Paulus.  
II. III. IV. V. Pius. II. IV. V. Sixtus.  
IV. Urbanus. VIII.

### Concilia.

Basileense antequam fieret acephalum.  
Constantiente. Dioſpolitanum. Florentinum,  
Lateranense. Lugdunense. Octavum Gene-  
rale. Tridentinum. Viennense. &c.

### Abbreviationes.

Alex, vel Al. - Alexander. Baj. vel B. -  
Bajus. Ben. - Benedictus. Clem. - Cle-  
mens. Conc. - Concilium. Congr. Card.  
- Congregatio Cardinalium. Eugen. -  
Eugenius. Gel. - Gelasius. Greg. - Gregorius.  
Hus. vel H. - Hussius. Jans. vel Jan. -  
Jansenius. Innoc. vel In. - Innocentius.  
Inst. Eccles. - - Institutiones Ecclesiasticae.

Joan.

Joan. - Joannes. Lug. - Lugdunense Concilium. Lut. vel L. - Lutherus. Mart. - Martinus. Mol. vel M. - Molinos. Paul. - Paulus. P. - Pius. Ques. vel Q. - Questionis. Six. - Sextus. Syn. Diœc. - Synodus Diœcesana. Urb. - Urbanus. Wicl. vel W. - Wicleffus.

\* Asterisci indicant Annotationes.

De cætero, nemo existimet: Omnes omnino Propositiones, vetitas hoc esse collatas; Repertorium enim earum manuale desiderabatur; Præteritis, non vero etiam futuris, locupletius ut proinde laus hujus Opusculi, nequaquam in eo consistat, quæ alias perfectis operibus attribuitur; Quibus nempe: nihil addi, nihil demi possit. Sed potius in eo: Cui semper aliquid, & novi addi, & veteris demi queat. Non quidem quoad Fidei dogmata, (nisi quoad eorum declarationem) attamen quantum attinet ad Ecclesiæ disciplinam, quam pro ratione temporum mutabilem esse, Fides, Juxta ac experientia docet.

Index



# Index Alphabeticus Propositionum Damnatarum, Aliarumque ad earum notitiam Conducentium.

Abortus.

1. Licet procurare abortum **ante animationem** fætus, ne puella deprehensa grāvida occida-tur aut infametur. *Innoc. XI. 34.*

2. Videtur probabile, omnem fætum, qvam diu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere dum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo a-bortu homicidium committi. *Innoc. XI. 35.* vide infra Vocem *Anima* N. 4.

\* Cum autem incertum sit animationis tem-pus: Alii enim assignant, diem a conceptu, 30.

A

vel

vel 40. pro mare, 50. vel 80. pro fæmina  
alii aliter; raro abest periculum homicidii, in  
abortu procurando. Præsertim si subsistat ho-  
diernorum sententia Medicorum, qui fætum  
humanum animari, vel in ipsa concep-  
tione, vel statim post conceptionem volunt. Al-  
phonstus equidem Ligorius Theol. mor. l. 3. p.  
mihi 164. N. 394. Erroris arguit eos; qui di-  
cunt: *In primo statim instanti animari fætum*  
*humani.* Nixus tum ratione naturali: Quo-  
modo enim ( inquit. ) *Anima informabitur Cor-*  
*pus, antequam istud formetur?* Tum testimo-  
nio scripturæ. Exodi nempe: 21. Ubi juxta  
Versionem 70. leguntur seqq: „Qui percusse-  
rit mulierem prægnantem, & illa abortum fe-  
cerit, si fætus erat formatus: Dabit animam pro  
anima. Si nondum erat formatus: multabitur  
pecunia. &c.“ Ut adeo certum sit: ( sunt  
verba Auctoris laudati ) fætum non statim a-  
nimari. Qui ibidem opponit Medicis, ipsum  
quoque eorum principem: Hypocratem.

Nisi igitur Medici voce: *Conceptionis intelli-*  
*gent formationem fætus, ægre admodum con-*  
*ciliabunt, suam, cum modo dictis opinionem.*

Cen-

— O —

Censores autem librorum his in ambagibus  
fatis dirigentur Regula S. Basili ad Amphilochium  
ita scribentis: „Qui de industria fætum cor-  
rumpit, cædis pœnas luat. *Formati autem, vel*  
*informati subtilitas a nobis non attenditur*“ &  
recte; ad propositum Censorum, quibus hoc  
in genere plene sufficit: ad reprobandum li-  
brum, quo doceretur: *Licitum esse procurare*  
*abortum, siue ante seu post animationem fatus,*  
*ne puella deprehensa occidatur.* Istud enim est,  
quod in prædictis damnatur propositionibus

### Absolutio.

1. Licet Sacramentaliter absolvere dimidia-  
te tantum confessos, ratione magni concursus  
pœnitentium, qualis v. g. potest contingere  
in die magistri alicujus Festivitatis, aut indul-  
gentiæ *Innoc. XI. 59.*

2. Pœnitenti, habenti consuetudinem peccan-  
di, et si emendationis spes nulla appareat, nec  
est neganda, nec differenda absolutio, dum  
modo ore proferat se dolere, & proponere e-  
mendationem. *Innoc. XI. 60.*

O

3. Potest aliquando absolvī, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imino direcēte, & ex proposito querit, aut se ingerit eidem. *Innoc.*  
*XI. 61.*

4. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei. Et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilēm nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. *Innoc.*  
*XI. 64.*

\* Opstrædt in Libro, cui Titulus : *Pastor Bonus.* pag. mihi 295. sic habet „si invenieris tales, in quibus (bonæ voluntatis, & vitæ indicia se prodant: censeo illis satis secure posse absolutionem, & S. Communionem concedi, & si interim retinere non potuerint quæ, de mysteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis toties illos docteras.“ \* Proposito hæc non est excusanda a censura, quamvis loqui supponat de ignorantia inculpabili. Nam *Innoc. XI.* partem primam propositionis 64. etiam ut præcisam ab altera, absolute damnavit, quæ certo complectitur partem quoque *se.*

— O —

secundam. Damnata tamen est, & illa speci-  
aliter, quia novum errorem: Culpabilis vide-  
licet ignorantiae expresse afferit, esse excusabi-  
lem. Atque univerte tenendum est: Pœnitentem,  
semper fore incapacem absolutionis, donec my-  
steria prædicta competenter ediscat. Adver-  
tendum autem est: non hic sermonem insti-  
tui de forma absolutionis conditionate profe-  
renda in casu necessitatis de qua vide: *Const. Be-*  
*nend. XIV. de Doctrina Christiana Et si minime.*

5. Nullo modo confidas absolvvi propter tu-  
am contritionem sed propter verbum Christi,  
*Quodcumque solveris &c.* Hic inquam confide,  
si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede  
fortiter te absolutum, & absolutus vere eris,  
quid quid sit de contritione. *Luth. 11.*

\* Absolutionem pœnitentibus indultam, qui frau-  
dulenter, & sub eo fine in aliam Diæcesim se trans-  
ferunt, non sustineri *S. Congregatio in causa*  
*Campsana 16. Sep. 1649.* (*Ut referitur in Syn.*  
*Diae. l. 5. cap. 5:*) declaravit. Vide *Approbatio*  
*Num. I. 2. 3. Confessarius. I. 4. Intentio. I.*  
*Mendicantes. 5. Regulares. 8. Satisfactio. I. 2.*

3. *Sacerdos.* 4. 5. *Confessio.* II. *Contritio. Pænitentiae Sacramentum* 3.

*Acceptatio legis.*

„Populus non peccat, et si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam. *Alex. VII.* 28, die 24 Sept. 1665. \* Nota: Hic agi de lege debite lata, ac promulgata. secus enim certum est: Eam non obligare. Quapropter Proposicio hæc intelligenda est de Principe, non solum qui sit absolutus Monarcha, verum etiam cuius gubernium sit mixtum Aristocratia, aut Democratis &c. Quamvis enim iis in casibus Potestas legis lativa existat cumulativa, est tamen perinde legitima, cui non parere sine causa, non modo irrationabile est, verum etiam peccaminosum.

Nec obstat his illud Juris Axioma: *Lex non acceptata non obligat.* Fertur enim in objectum ab hac damnata diversum; Quæ nimirum: appellat ad Originem legis promulgatæ, cum Axioma allatum durationem ejusdem respiciat, ut sensus sit: Peccari quidem a populo, sub initium non parendo, sine causa legi promulgatae, si tamen succedat consuetudo, contraria, legitime præscri-

scripta, tacito (ut minus) Principis consensu  
munita, sic non acceptata lex, utique <sup>non</sup> obligat.  
Actus humanus. *V. peccatum Personale 3.*

& Bonum opus.

Adulterium.

1. Non peccat maritus, occidens propria  
auctoritate uxorem in adulterio deprehensam  
*Alexe. VII. 19.*

2. Copula cum conjugata, consentiente ma-  
rito non est adulterium, adeoque sufficit in  
confessione dicere: Te esse fornicatum *Innoc.*  
*XI. 50.*

3. Adulterium dirimit Matrimonium etiam  
Consumatum. est propositio Verbo Dei contraria  
ex *Trid. Sess. 24. Canone VII.*

Adversitates, Afflictiones.

1. Omnes omnino justorum afflictiones sunt  
ultiones peccatorum ipsorum, unde & Job, &  
Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua  
passi sunt. *Bajii 72.*

2. Nunquam Deus affligit innocentes, & af-  
flictiones semper serviunt, vel ad puniendum  
pec.

peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

**Ques.** 70. *vide: B. Virgo. 2.*

**Æquivocatio V. Restitutio.**

Albigenses.

Sæculo XIII. ita appellati, quod se se in Diaecesim Albigensem infudissent, secessabantur errores Manichæorum, Petrobusianorum, & Valdensium. Propria eorum deliramenta erant: Quemvis Confessiones excipiendi, & absolvendi potestatem habere. Corpora mortuorum ad vitam non esse suscitanda: Purgatorium & infernum negabant, Baptismum ineram cæremoniæ esse, Corpus Christi non magis in Eucharistia, quam omni alio loco dari, Actum Connubiale saluti officere, Ecclesiam Romanam speluncam Latronum esse. Multaque alia absurdâ impietatis, & ineptiarum plena effutiebant. Damnati sunt a Concilio later. IV. anno 1215. *V. Beguardi.*

**Amor. Charitas, Dilectio.**

**I. Omnis amor creaturæ rationalis, aut virtuosa**

tiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut Laudabilis Charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa, Deus amatur. *Baii 38. V. Fides N. 6. 8.*

2. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi, si Dei: Charitas Patris est; si mundi: concupiscentia carnis, hoc est: mala est *Aex. VIII. 7.*

\* Posteaquam Jansenius duce Bajo, hæretici sui Systematis basim in eo collocasset: *Quod liberum hominis arbitrium in statu naturæ lapsæ sit perditum.* Eo devenit, ut diceret: *Omnia necessitate absoluta agi ab hominibus bona juxta ac mala, prout nempe: quis, a delectatione, quam ita compellat victrice, occuparetur.* Ut nihil cinnino differat a Luthero, & Calvino delirantibus cum effutirent: *sublata Libertate voluntatem humanam se habere instar eius qui secesserii, cui si insideat Deus, pergit, quo Deus vult, si insideat dæmon pergit quo dæmoni placet.* Huic perditionis viæ; non modo institit Quesnellus, verum etiam in profundius chaos se immersit. Neque enim satis habuit: negasse liberum arbitrium, nisi simul tollere niteretur,

— O —

omnes Virtutum species, præterquam solius Charitatis: Utqui, Duo dumtaxat statueret deliberatarum hominis actionum principia; Dilectionem nimirum: Prædominantem Dei; pro bonis, concupiscentiam carnis pariter pærdominantem pro malis, ut quid quid Charitas non esset, id totum Carnalis cupiditas possideret. Cum tamen Fides orthodoxa doceat: Præter actus a Charitate promanantes dari etiam supernaturales, utpote: Fidei; spei, timoris, & doloris, atque bonas non nullas operationes in Infidelibus, peccatoribus, aliisque Charitatearentibus.

3. Non sunt nisi duo amores, unde nostræ volitiones, & actiones omnes nascuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. *Ques. 44.*

4. Amore Dei, in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat. *Quesnel. 4. s. vide: homo.*

\* *Ques-*

— O —

\* Quesnellianæ huic propositioni, per omnia similis est illa, quam Opstrædt „in *Pastore Bono.* pag. mihi 300. N. VII. his habet verbis: „Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei Charitas, atqui: non est Dei Charitas (nimirum: simpliciter, & absolute) ubi non est amor Dei, major cæteris omnibus cordis amoribus, ergo ibi regnat carnalis cupiditas.“ Vide *Jansenismus*, in Principio, ubi se prodit Author; quid intelligat: per prædominantem amorem Dei, nempe: majorem cæteris omnibus cordis amoribus.

5. Cupiditas, & Charitas usum sensuum Bonum vel malum faciunt. *Ques. 46.* vide: *opus Bonum. I.*

6. Ut nullum peccatum est sine amore nostri; ita nullum est opus bonum sine amore Dei. *Ques. 49.*

7. Frustra clamamus ad Deum: *Pater mi,* si spiritus Charitatis, non est ille, qui clamat. *Ques. 50.*

8. Sola Charitas est quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. *Ques. 54.*

9. Sola Charitas Christiano modo facit actiones

ones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum. *Ques. 53.*

10. Deus non coronat, nisi charitatem, qui currit ex alio impulso, in vanum currit. *Ques. 55.*

11. Deus non remunerat, nisi Charitatem, quoniam Charitas sola Deum honorat. *Ques. 56.*

12. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Ques. 57.*

13. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas. *Ques. 58.*

14. Non est vera Legis obedientia, quæ sit, sine Charitate *Baj. 16.*

15. Charitas perfecta, & sincera, tam in catechumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. *Baj. 31.*

16. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. *Baj. 32.*

17. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram Charitatem *Baj. 70.*

18. Per contritionem etiam cum charitate  
perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentū  
conjunctam, non remittitur crimen extra ca-  
sum necessitatis, & Martirii sine actuali suscep-  
tione Sacramenti Baj. 71. vide: *Fides* 6.  
10. 11. 23. peculiariter autem Lex. 5. 6. 7. 9.  
*Natura* 6. 7. 8. *Obedientia* 2. *Opus Bonum* 2.  
*Spes.* 1. 2. *Fides.* 23.

Amor proprius. vide: *Via interna II.*

Amor proximi. vide: *Proximi amor.*

Amor purissimus.

\* Inocentius XII, Anno 1699. die 12. Mart.  
proscriptis Theses 23. excerptas ex libro Gal-  
lico Illustrissimi Ducis Salignae de Fenelon.  
Arch - Episcopi Cameracensis, quæ prætextu  
*Amoris purissimi*: jam etiam ab aliis in Gallia  
docebantur.

Summa earum est adstruere in hac adhuc  
vita, statum habitualem amoris Dei, qui non  
præscindat solum a timore, & spe (talem enim  
dari sacra quoque docet scriptura: *I. Joan. 4.*  
**18.** ubi habetur: *Perfecta Charitas foras mittit  
timor-*

— O —

*timorem*) Sed qui excludat, repudiet, & aver-  
setur, tanquam quid imperfēctum, omne o-  
mnino spei, & timoris Divini motivum. Sta-  
tum hunc Auctor: contemplativum, unitivum,  
passivum, disinteressatum, indifferentiæ, trans-  
formationis vocat, ad quem, si anima se mel-  
eluctet, enque virtutum exercitium, neque  
remissionem peccatorum in Confessione, neque  
salutem suam velit, ac desideret amplius, tan-  
quam propriam perfectionem, liberationem,  
mercedem, ac felicitatem, sed præcise, ut rem  
quam Deus vult, & vult hominem velle pro-  
pter se solum. vide: *Via interna.* 1. 2. 3. 4.  
5. 6. 7.

Quin immo fieri posse ait Auctor: ut Deus  
**Animam** æmulatus ad purgandum hujus amo-  
rem, per externas probationes, seu tentatio-  
nes, in desperationis statum deducat: subtra-  
hendo ei videlicet: omne perfugium, & spem  
quo ad proprium ejus interesse etiam æter-  
num, ipsiusque adeo Christi intuitum. In  
quo tamen statu, Anima absolutum peragat  
sui sacrificium, acquiescendo Dei sententiæ,  
qua persuadeat: se esse a Deo juste reprobatum.

Tum-

— O —

Tumque demum exspiret in cruce cum Christo dicens: *Deus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?* Sueret proinde Directori conscientie: ut animam sinat in statu hoc permanere, quem ille separationis vocat, eo, quod putet ab his perturbationibus, tunc partem solum inferiorein animæ occupari, quæ sint persuasiones mere reflexæ, involuntariæ invincibles, cum interea pars animæ superior retineat in aëtibus suis directis spem in Deum, sed perfectam illam, quæ nempe: Sit desiderium disinteressatum, divinarum premissionum, quo illa expectet salutem, non tanquam proprium bonum, sed rem, quam Deus vult, & vult eam velle propter se solum.

Omnium autem illarum 23. Thesium compendium quoddam continent, duæ hæ ex illis delectæ.

1. In statu virtæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & Spei: *Innoc. XII. 2.*

2. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor paenarum

neque desiderium remunerationum' habent amplius in eo partem. Non amat'ur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. *Imma. XII. I.*

\* Peculiarem adhaec notam merentur propositiones. N. 13. 14. in illis enim male commendatur desperatio nomine Sacrificii, male involuntariæ perturbationes attribuuntur Christo, qui quantum voluit, & non ultra passus est, ut cum scriptura docet S. Thom. 3. p. q. 47. a. I. male denique pars inferior hominis a partis superioris regimine, quasi avulsa exhibetur, ita, ut, actus partis inferioris in anima probata prorsus cæci sint, & involuntarii. Certe si Superior pars non invigilet, aetibus potentiarum inferiorum, ii, in peccatum animae imputabuntur. Ut docet S. Thomas I. 2. q. 174. a. 3. ad 2. Qui secus senserit, viam sternet sibi ad periculosiora quoque Molinosii commenta.

\* A quibus tamen Archi Präfulem Cameracensem procul absuisse, tuetur Auctor Appendix: de *propositionibus damnatis*, ad cal-


cem

— O —

cem moralis Theologiæ Patris Antoine ad-  
jectæ, ex cuius capite 27, notam hanc mu-  
tuatus sum. Quamquam haud desint alii,  
quibus videatur idem Archi Præsul, partem  
ut minus suæ doctrinæ, de fæculento Molino-  
nismi quietissimo hausisse. Ut ut sit, nemo  
tamen est, qui ignoret: quod accepta Innocentii  
Constitutione, Librum suum Vir ille pientissimus  
pro concione contertissima mox ipse re-  
probaverit, legique, & retineri gravissime ve-  
tuerit, luculenta edens pœnitudinis indicia,  
duim interea populus, a quo tenera Charitate  
diligebatur, lachrymis ac singulibus locum  
compleret. Vide: *Communio. N. 6. Contemplativus.*  
*Devotio. Molinos. Quies. Resignatio. 1. 2. 3. 4.*

Amphibologia- *Vide: Restrictio.*  
Anima.

I. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum,  
& ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, &  
peccati consecutiones. Hoc est, generalis im-  
potentia ad laborem, ad orationem, & ad o-  
mne opus bonum. *Ques. 1.*



2. Risu digna est doctrina - - Animam quoad interna gubernari debere ab Episcopo, aut si is idoneus non fuerit, eundem adeat anima cum ipso directore suo. - - Quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcunque sibi bene visum. Mol. 66. vide: *Via interna* 7. 11. *Annihilatio. Contemplatio. Devotio. Quies.*

3. Animae Sanctorum non videbunt Deum intuitive, nisi post extremum judicium. Damnavit hanc propositionem Bened. XII. *Bulla. Benedictus Deus.*

\* Quam Decessor ejus *Joan. XXII.* solum ut Doctor privatus defenderat, aut potius opinative proposuerat, vel hoc ipsum, ante ultimum agonem retractans Anno. 1334. Sed omnem, quae adhuc superesse poterat difficultatem sustulit *Conc. Flor.* dicens: „Definimus, illorum animas, qui post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est.“

4. Concilium Later. V. damnavit eos, qui doce-

docerent: intelligentem Animam esse mortalem, aut unicam in omnibus hominibus. Illi contra: qui duas animas dari assererent in homine, damnati sunt a Synod, 8<sup>va</sup> Can. IO. ut est apud Cabas.

\* Sed hæc damnatio intelligenda est: de animabus simultaneis, & propter Manichæos, qui unam a Deo, alteram a dæmone repetebant. Nam D. Thom. Summæ p. I, q. 118. a. 2. ad 2. tres etiam homini adstruit animas, sibi nimiriū succedentes: I<sup>mām</sup> vegetativam, tum sensitivam, ac demum formato jam factu rationalem, quæ subinde vicem priorum subeatur, nequaquam autem simultaneas, neque ultiam earum ortam a malo principio.

5. Fathinas animæ mortalis esse, neque ad eas regnum Dei pertinere, docuerunt olim Anabaptistæ etiam in Hungaria, damnataque sunt propterea, & eruitur ex Conciliis apud Peterfi Part. I. fol. 322.

6. Animam hominis Spiritualem esse, immo ipsum Spiritum a Corpore distinctum, definit Conc. Later. 4<sup>ta</sup> Cap. firmiter. Eorum vero Sententiam, qui docuerunt: Animas ho-

minum omnes creatas esse in principio mundi, damnavit Conc. Constantin. 3. A<sup>t</sup>ione 11. Sed & illud foret hæreticum docere: quod animæ creentur extra corpus quocunque tempore: Concilio Bracarensi oppositum definiente, & Ecclesia universa tenente. *Creantur* itaque animæ, infunduntur, & multiplicantur ad multiplicationem corporum. Ita Conc. Later. s<sup>ess</sup> 8.

\* Audiendus est hic Melchior Canus, qui de Loci Theol. l. 12. c. ult. R. 1. ita differit: *Augustinus* quidem afferuit: *Non esse de fide questionem: Num anima rationalis ex traduce sit?* Nunc tamen postquam Theologorum, & Fidelium consensu firmatum sit: *Animas humanas non per generationem, sed per creationem existere; sine dubio ad fidem illa quoque pertinet.* Hactenus Canus: cuius sane Sententiae multum ponderis addidere, allatæ hic Conciliorum decisiones.

7. *Anima rationalis, non est vere, & proprie forma corporis humani.* Clem. V. in Concil. Vien.

8. *Anima intellectiva mortalis est, saltem 2<sup>dum</sup> Philosophiam.* Leo. X. in Conc. Later. s<sup>ess</sup> 8.

q. Anima intellectiva est unica in cunctis hominibus. Idem qui supra, & ibidem.

\* Duæ hæ propositiones damnatae sunt, ut hæreticæ, ac dein superaddita hæc universalis definitio quoad assertiones Philosophicas:  
„ Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus. Omnes hujusmodi erroneis assertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernimus. “

„ Insuper omnibus, & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus, districte præcipimus: Ut cum philosophorum principia, aut Conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explicuerint ( quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujusmodi ) teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestari facere, & persuadendo ( pro posse ) docere, ac omni studio hujusmodi philosophorum argu-

menta ( cum omnia solubilia existant ) pro viribus excludere, atque dissolvere *vide Legatum.* Item: *Annibilatio*, et *Christus N. II.*

\* Melchior Canus lib, de loc. 12. c. 14. Tomam de immortalitate Animæ doctrinam 4. conclusionibus est complexus. Quarum Prima est: „Propositio asperrens: Animam hominis esse mortalem, fidei Catholice manifeste repugnat. 2<sup>da</sup>: Animus naturaliter est immortalis, & non ex dono gratuito 3<sup>ta</sup>: Erroneum est ( ne dicam ) hæreticum: adstruere: Animæ immortalitatem, naturali ratione demonstrari non posse. 4<sup>ta</sup>: Periculosum, ac temerarium est ( ne quid amplius addam ) affirmare: Quod nullum argumentum, haec tenus inventum, vere demonstrat Animæ immortalitatem. Si non ( ut Auctor se explicat ) Mathematice, aut Metaphysice, at certe moraliter. Quibus adde: istud plene sufficere, ad id, quod intenditur, neque enim hic quæritur scientia summa, verum sola doctrina practica, quæ sufficiat ad pie vivendum: Ad quod sane sufficit, certitudo, & evidentia moralis de æternitate, atque etiam intrinseca immortalitate Animæ. *V. Immortalitas, 1. 2.*

S. Anna. v. B. Virgo N. 5.

Annihilatio Molinosiana.

1. Necessarium est, annihilari potentias, & hæc est via interna. *Mol. 1.*

2. Velle operari actione, est offendere Deum, qui vult solus agens esse, & ideo necesse est derelinquere se, & deinde se habere mortui instar. *Mol. 2.*

3. Activitas naturalis est inimica gratiæ, & impedit operationem Dei, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis. *Mol. 3.*

4. Anima nihil operando annihilat se, & redit ad suum principium, & originem suam, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata, & divinizata, & tunc Deus manet in seipso, quia tunc, non sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, & sic vivit, & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativo. *Mol. 5.*

5. Animabus hujus viæ internæ, non convenit, ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate, alioquin mor-

 O   
mortuæ non forent, nec debent facere abusus  
amoris erga Beatam Virginem, Santos, Hu-  
manitatem Christi, quia cum haec sint objec-  
ta sensibilia, talis est amor erga illa. Mol. 35.  
**Vide: B. Virgo.** 3.

6. Anima cum ad mortem Mysticam per-  
tigerit, non potest ultra velle aliud, quam quod  
vult Deus, quia non habet amplius voluntatem,  
& Deus illam ipsi ademit. Mol. 61,  
*Amor purissimus, Devotio, Molinos, Quies, Re-*  
*signatio passiva. Via interna. I. 2. 3. 4. 5.*  
**6. 7. Violentia.**

### Anniversarium Defunctorum.

[ 1. In die quo celebratur Festum duplex, et  
iam translatum, prohibetur Missa de Requi-  
em, nisi sit praefens cadaver. Anniversari-  
um potest, immo debet *transferri*. Ita refert  
P. Cavallieri, Decisionem S. R. C. factam 31.  
Julii. 1665. Sed pars haec ultima erronea est.  
Nam in Autographo legitur: *Anteferri*. Sic  
respondit Praeses S. R. C. Praeposito Majori  
Coloc. de dato die 20. April. 1793.

2. \* Bene tamen advertit idem P. Cavalli-  
eri:

erit: Operum Litor. Tom. 3. cap. 6. Degr.  
5. habendam esse rationem Rubricæ de Trans-  
latione, quoad eligendam diem proxime non  
impeditam, sive sit antecedens, sive conse-  
quens, ita tamen, ut cæteris paribus præeli-  
garur antecedens: Quo citius Defunctis consu-  
latur. Ut habet Gav. & Mer. P. I. T. V. lit. y.

### Appellatio.

Pius II. vetuit a Sententia Papæ appellari  
ad futurum Concil. sub pœna Anathematis,  
*Apud Sandinum in ejus Vita.*

### Approbatio Episcopalis,

1. Concilium Tridentinum non obligat Re-  
gulares, ad obtinendas approbationes ab Epi-  
scopis; ut sæcularium Confessiones audire pos-  
sint. Neque de illius Concilii autoritate pri-  
vilegia Regularium restringi possunt, cum in  
Gallia receptum non sit, præterquam in de-  
cisionibus fidei. Neque Bulla Pii IV. pro con-  
firmatione illius Conc. promulgata. Alex. VII.  
die 30. Januar. 1659. N. I.

2. Ubi Concilium Trid. est receptum, non  
pos-

— O —

possunt Episcopi, restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quin immo: Ordinum mendicantium Religiosi, ad eas approbationes obtinendas non tenentur, et si ab Episcopis Religiosi non approbentur; rejectio valet illa tantum, ac si approbatio Concessa fuisset. *Alex. VII.* ut supra N. I.

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur approbati in aliis, nec nova Episcoporum indigent approbatione, *ut supra*, & N. 2. *Clem. X. Constitutione: superna* 2. 4.

\* Ubi dicitur: Religiosos ab Episcopo ad Confessiones approbatos, non posse in alia Diœcesi eas, absque, Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes ejus Episcopi subditi sint, a quo ipsi Religiosi sint jam approti. Ad hæc vide: *Instit. Bened. XIV. 80. N. 7.* Qui prohibitionem hanc etiam ad Parochos extendit, & quidem Jure posteriori. *Congregatio tameu Conc. Trit.* declaravit: Parochis ali-

— O —

aliunde advocatis, id licere, sed quoad suos  
dumtaxat subditos. Ibidem V. Confessarius N.  
5. Item *Confessio N. 5. Mendicantes. 5. Bene-  
ficium. 2. Sacerdos 4.*

### Attritio seu Contritio imperfecta.

I Imperfecta Charitas morituri se sola satis  
est facere pœnam purgatorii, & impedit ins-  
troitum Cœli. *Luth. 4.*

2. Contritio imperfecta, facit hypocritam,  
immo magis peccatorem, *Luth. 6.*

3. Probabile est sufficere attritionem natu-  
ralem, modo honestam, *Innoc. XI 57.*

4. Revera peccat, qui odio habet pecca-  
tum, mere ob ejus turpitudinem, & discon-  
venientiam cum natura, sine ullo ad Deum  
offensum respectu. *Alex. VIII. 9.*

\* Hæc propositio ( ut notat Viva ) inde et-  
iam peccat: Quod supponat, peccatum ut na-  
turæ contrarium, odio haberi posse, sine ullo  
prorsus ad Deum respectu; cum tamen im-  
possibile sit: illud odisse, ut contrarium natu-  
ræ, nisi simul odio habeatur, ut prohibitum

• a supremo Legislatore : seu Deo. Quamvis jer-  
si dari posset tale odium ; tamen falsum est il-  
lud eo ipso fore peccatum. Ut si quis doleat de  
offenso Patre, ob solam illius naturalam bonitatem.

5. Attritio, quæ gehennæ , & pœnarum me-  
tu concipitur sine dilectione benevolentia  
Dei, propter se, non est bonus motus, & su-  
pernaturalis. *Alex. VIII. 15.*

6. In virtute S. obedientiae , & sub pœna ex-  
communicationis Latæ Sententia , Papæ reser-  
vatæ, præcipitur : Ut nemo audeat alicuius  
Theologicæ censuræ, alteriusve injuria, aut con-  
tumeliæ nota taxare alterutram Sententiam, sive  
negantem; necessitatem aliqualis dilectionis Dei  
in attritione ex metu gehennæ conceptæ, quæ  
hodie inter Scholasticos communior esse vi-  
detur, sive afferentem dictæ dilectionis neces-  
sitatem, donec a Sede Apostolica, aliquid hac  
in re definitum fuerit. Ita *Alex. VIII. pecu-*  
*liari decreto.*

\* Opstrædt aperte agit contra hoc Decre-  
tum, dum pag, mihi 303, *Pastoris Boni*, pec-  
cati mortalis reum arguit illum, qui sequi-  
tur sententiam, quæ Alexandro Papæ VIII.

inter-

inter Scholasticos communior esse videbatur  
de attritione. „ Audiatur nomine Scholastico-  
rum loquens Princeps eorum. Cum Spes ( ait  
ille ) 2. 2. q. 17. art. 5. ) habeat Deum pro  
objeto manifestum est, quod Spes est virtus  
Theologica. Parte autem 3. q. 85. art. 5.  
ad 3. idem S, Doctor sic ratiocinatur: Nullum  
malum est a Spiritu Sancto; Atqui timor eti-  
am servilis est a Spiritu S. ergo timor servilis  
non est malus, immo, & supernaturalis est,  
cum procedat ex actu Dei convertentis cor.  
&c.“ Vide: *Spes. 12. Timor. Amor purissimus*  
*per totum.*


### Augustinus.

I. Ubi quis invenerit doctrinam in Augu-  
stino clare fundatam, illam, absolute po-  
test tenere, & docere, non respiciendo ad ul-  
lam Pontificis Bullam. *Alexc. VIII. 30,*

2. Advertendum tamen: quod Augustini  
authoritas sit irrefragabilis quoad puncta a CC.  
& PP. approbata ut vera, quæ habentur in  
epistola Cœlestini I<sup>mi</sup> ad Episcopos Galliz apud  
Prosperum in fine operum ejusdem. Quo-

rum

rum ipsum est: in prævaricatione Adæ, omnes  
 ammisisse naturalem possibilitatem, idest facul-  
 tam expeditam ad salutem. 2<sup>dum</sup>: Nemini  
 esse per se bonum, nec posse perseve-  
 rare sine gratia. 3<sup>tum</sup>: Nemini bene uti  
 Libero arbitrio nisi per Christum. Adeoque  
 omnia bona opera referenda esse ad Deum.  
 4<sup>tum</sup>: omnes motus bonæ voluntatis esse a Deo,  
 5<sup>tum</sup>: Anathemati subesse eum, qui assertit:  
 gratiam Dei solum valere ad remissionem  
 peccatorum, non vero ad ea vitanda. 6<sup>tum</sup>  
 Item eum, qui dixerit: gratiam Christi solum  
 juvare illuminando intellectum, & non mo-  
 vendo voluntatem, & etiam eos, qui dicunt:  
 gratiam dare facile, non simpliciter posse.  
 Quoad haec itaque, non vero quoad alia o-  
 mnia est irrefragabilis Augustinus, immo in  
 aliquibus rejiciendus, etiam quæ ipse non re-  
 tractavit: Ut in sententia de creatione mundi  
 unico instanti. In expositione textus; *Tu es*  
*Petrus, & super hanc Petram.* Quatenus per  
 Petram designari ipsum Christum docet, non  
 autem Petrum. In dubitatione, de propaga-  
 tione animarum per traducem. Et (ut qui-  
 dam



dam putant ) in eo , quod haesitaverit : **A**n animae post mortem statim ac purgatae , fuerint videant Deum intuitve ? quod refert Antoine Trac. de Deo. Quare dum Gelasius Papa Dist. 15. c. 3. Approbat omnia Augustini opera , haec ( ut ait Tostatus ) est solum commendatio doctrinae Doctoris , ut piae , Catholicae , eruditaeque hoc sensu , quod non repugnet iis , quae erant definita ab Ecclesia quando scribebantur. Sic idem Pontifex approbat opera S. Cypriani , in quibus tamen continetur error , de rebaptizandis iis , qui ab haereticis baptizati fuere. Haec fere ex Platelio. *Synop. Theol.* p. 2. N. 482. *Vide: Professiones.* 4.

### Bajus.

I. Pii V. Constitutio , qua Baij. errores primum fuerant condemnati , hac absolvebatur clausula : „Quas quidem sententias - - quamquam nonnullae earum , aliquo pacto sustinueri possent , in rigore , & proprio sensu verborum , ab assertoribus intento : haereticas , erroneas , suspectas , temerarias , & in piis au-  
res

res offensionem immittentes respective damnamus.“

2. Ubi advertendum: quod Baij aseclæ interpunktionem seu virgulam post verbum *possent*. Negent posicam fuisse, ut inde inferant, nullam ex iis propositionibus determinate damnatam esse. Sed tantum aliquas indeterminate, ideoque posse singulas defendi, in sensu ab assertoribus intento.

3. Quamvis autem commentum hoc, ipsius constitutionis exhibitione statim convelli non potuerit, cum illam Pius V. Typis non vulgaverit; certum tamen est: comma, seu virgulam praedictam proxime post verbum: *possent*, collocatam fuisse subinde a Greg. XIII. & Urbano VIII. in Bullis quibus eadem propositiones iterum proscriptæ fuerunt.

4. Nec aliter fuisse sicam eandem interpunktionem in ipsa quoque *Pii V.* Constitutione, evincit ratio ab Alexandro Natali in Histor. Eccl. Sæculi XV. & XVI. cap. 2. arti. 14. his allata verbis: „Quod si absque nota interpunktionis, seu virgula in Pontificis *Pii V.* Diplomate hæc sententia legenda esset, sibi ipsi con-

— O —

contradixisse Pontifex sapientissimus; hoc enim  
posito, nonnullæ Baji propositiones, non so-  
lum aliquo pætro, sed simpliciter, & abso-  
lute sustineri possent: siquidem fieret sensus:  
Illas in rigore, & sensu proprio sustineri pos-  
se: Quod sane idem est; ac posse absolute, &  
simpliciter sustineri. Neque Toletus, omnium  
earum retractionem a Michaele Bajo Ponti-  
ficiis nomine postulasset, & imposuisset, si ali-  
quæ in rigore, & proprio sensu ab Auctore  
intento sustineri possent. Constat autem per  
Eajum, nullam earum in sua retractione ex-  
cepisse; in qua videlicet his iisdem utitur ver-  
bis: „Denique declaro me impræsentiarum ab  
iis omnibus recedere, & damnationi a sede  
Sacra tactæ jacquescere, nec post hac ullas  
docere, ac defendere velle.“ Actum Lovani.  
24. Maii 1579.

5. Hinc tamen minime sequitur: nullam  
omnino earum propositionum, quibus Bajus  
sic renunciavit ab ullo sustineri posse. Cum  
ipse Pius V. qui eas primus proscriptit (ut  
est apud Contempsonium Tom. I. Diss. I. cap.

I.

C




1. sed. I. ) declaraverit: plures ex Bajanis propositionibus esse veras, & Catholicas, & ex Augustino totidem verbis quandoque decerpitas, eas tamen Sanctitatem suam reprobasse, vel ob censuræ atrocitatem, vel ob Auctoris supercilium, vel ob pravam earum interpretationem, vel denique ( quod ex Suario addo ) quia id temporis, Baji illa immoda exaggeratio scandalum generabat. Prolog. 6. c. 2. N. 14. Vide : *Bulla* 2.

### Baptismus.

1. In puerō post Baptismum negare: remanere peccatum, est Paulum, & Christum simul concilcare. *Lub.* 2. V. Voceū: Pelagius : 2. 7. Ibid. infra \* 2.

2. Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando rationis usum consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Divinæ repugnet. *Baj.* 49.

3. Valuit aliquando Baptismus hac forma collatus: *In nomine Patris &c.* prætermissis: *Ego te baptizo.* *Alex.* VIII. 27.



4. Primus effectus gratiæ Baptismalis, est facere ut moriamur peccato; adeo ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam mortuus habeat pro rebus mundi, *Ques. 43.*

5. In omnibus hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Cathechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. *Baj. 43.*

6. Unde in Sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriæ reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum, solum liberat a reatu. *Baj. 57.* Quæ, eadem est cum 6. Voce: Peccator. Vide: Intentio. 2. *Albigenses.*

### Beata Virgo.

1. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ **vnâ** est. *Alex. VIII. 26.*

2. Nemo præter Christum est absque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum, ex Adam contra-

Etūm. Omnes ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiōes peccati actualis vel originalis. *Baj.* 73. Vide *Adversitatis*.

3. Beata Virgo nunquam aliquod opus exterum fecit, & tamen omnium Sanctorum fuit Sanctissima, igitur perveniri potest ad Sanctitatem sive operè externo. *Mol.* 40.

4. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata V. M. in die Purificationis suæ sufficienter testatur, quod indigerit purificatione. Et quod Filius, qui offerebatur etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis. *Alex.* VIII. 24,

5. Anna integra Virginitate Mariam peperit. Docuit hanc sententiam Auctor quidam nomine: *Imperiali*, damnata autem est ab *Innoc.* XI. Anno 1677.

6. Deipara non est assumpta in cœlum cum Anima, & Corpore, *Propositio hæc est temeraria* iuxta *Antoine in Appen.* *De damnatis propositiōnibus.* *Cap. I.* N. 16.

Beguardi, Beguinæ, Fraticelli,  
Sexta Sæculi XIII. Duces, Viros quosdam  
apo-

— O —

apostatas habuit, qui vitæ spiritualis prætextū, vitam omnino inertem, vagam, incontinentissimam duxerunt. Errores ipsorum, quos ex parte a Manichæis, & Albigensibus mutuati fuerunt, non abhorrebant a proscriptis postea Quietistarum placitis. Damnati sunt in Concilio Viennensi œcumenico XV. Anno 1311. sub Clemente V. habito; in sequentibus.

1. Homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis potest semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradus perfectionis hujusmodi fuerit asseditus, quia tunc sensualitas est ita spiritui, & rationi subiecta, quod homo potest libere sibi concedere quidquid placet.

3. Illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanae subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini ibi libertas.

4. Homo potest, ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quaelibet intellectualis creatura in se ipsa naturaliter est beata, & anima non indiget Lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, & eo bene fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & anima perfecta licentiat a se virtutes. Reliqua vide. Voce: *Osculum Missæ. 4. Albigenses. Eucharistia.*

## Beneficiatus, Beneficium Ecclesiasticum.

1. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. *Alex. VII. 21.*

2. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium; simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. *Alex. VII. 16.*

\* Et vero ne ipsis quidem Episcopis extra propriam

am Dicecesim versantibus, licet sibi in Confessarium eligere Sacerdotem, qui approbatus non sit. Prout re graviter expensa definitivit Greg. XIII, apud Vivam ibi. N. 7.

3. Cum Tridentinum vult digniores promoveri ad beneficia: vel accipit comparativum pro positivo, vel utitur locutione minus propria, ut excludat indignos, vel loquitur tandem dum fit concursus. Innoc. XI. 47.

4. Beneficiatis licitum, est vendere redditus suorum beneficiorum ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi per id tempus consequi poterant. Hanc propositionem damnavit: Bened. XIV. Bulla: Universæ Ecclesiæ.

Adiecta pœna nullitatis astus, & excom. ipso facto incurriendæ per contrafacentes: Vide. *Simonia per totum. Restitutio. 1. 2. Occisio. 4.*

Biblia. Vide: *S. scriptura.*

Bona Ecclesiastica.

\* I. Innocentus IX. Dum Pontificio amicu indueretur ante omnia Bullam de non alie-



alienandis Ecclesiae bonis confirmavit. Sandinus  
in Vita Ejusdem.

2. Idem prohibuerat multo iam ante Paulus  
II. Const. 5. Tom. I. Bullarii. pag. 398, uti  
& locationem eorumdem ultra triennium: Vi-  
de Possessiones.

Bonitas Objectiva, Bonum Opus. *Vide.*

*Opus Bonum.*

Breviarium.

1. In die Palmarum recitans Officium Pa-  
schale satisfacit præcepto. *Alex. VII.* 34.

2. Uno Officio potest quis satisfacere præ-  
cepto pro die præfenti, & crastina. *Alex. VII.*  
35. die 18. Mar. 1666.

3. Qui non potest recitare Matutinum, &  
laudes, potest autem alias horas, ad nihil te-  
netur, quia major pars trahit ad se minorem  
*Innoe. XI.* 54.

4. Ecclesia nobis in Breviario fabulas, &  
apocrypha narrat.

\* Propositionem hanc Antoine pro piarum  
aurium offensiva habet inter damnatas pag. 378.  
N.



N. 9. *Vide: Beneficium Ecclesiasticum.* 15. *Re-*  
*stitutio.* 12. *De ortu, progressu, & obligati-*  
*one Divini officii* *Vide: Bayerling voce: Cano-*  
*nicae preces.* *Burium in vita Pontificis Pontiani,*  
*& Damasi I.* *Bona: Divinæ psalmodiæ.* C. ult.  
*Gretserum L.* 1. *in Codinum.* *Et capit. Dolen-*  
*tes.* *De celebr. Missarum.* *denique Chorus per-*  
*totum.* *Gavanti Thesaurum Tom.* 2. *Sedt.* 2. *cap.*  
I. 2.

### Bulla.

I. *Sententia afferens: Bullam cœnæ solum*  
*prohibere absolutionem hæresis, & aliorum*  
*criminum, quando publica sunt, & id non*  
*derogare facultati Tridentini, in qua de occul-*  
*tis criminibus sermo est. Anno 1626. 18.*  
*Julii in Confistorio Sacræ Congreg. Emin:*  
*Card. visa, & tolerata est.*

\* *Hanc propositionem, confixam esse, di-*  
*recte ob falsam assertionem de approbatione*  
*S. Congregationis, quæ nulla fuit-*

Creditur tamen Alex. VII. hanc damnati-

onem fecisse, etiam ideo, quod judicaverit e-

andem

— O —

andem propositionem esse improbabilem,  
\* Dicendum itaque: quod Bulla cœnar derogaverit facultati Tridentini, qua Episcopi poterant absolvere ab hæresi occulta ad forum contentiosum nondum deducta, quamvis externa: Nam ab hæresi interna, seu nullo signo externo manifestata, etiam simplex Confessarius potest unumquemque absolvere, quia hæc non est reservata, quemadmodum nec pure externa, quæ re ipsa non est hæresis proprie dicta, sed simulatio solum hæreos.

2. Bulla Urbani VIII. In *Eminentis* est subreptitia. *Alex. VIII.* 31,

\* Nota: Bullam hanc esse constitutionem, qua Urbanus VIII. Anno 1644. Primus Pontificium adversus Jansenium pronunciavit, cum decreta Pii V. & Greg. XIII. contra Bajum edita confirmaret, adjecta declaracione; dubii ex mala vocum interpunctione in Bulla Pii V. per Bajanos suscitati, de qua supra voce *Bajus.* prolixius actum,

\* Hanc ergo Bullam, Bajani dixerunt esse subreptitiam. Datur, & alia Bulla in *Eminentis.* sed ea est Pauli V, & respicit: *Negotiationes Clericorum.* Car-

Cardinalis

1. Cardinales non sunt successores collegii Apostolici, nisi qui sunt similes Apostolis in moribus, *Hus.* 13.

2. Ele~~ctio~~ Papæ per Cardinales a Diabolo est introducta. *Wiclef.* 40.

Carnalis actus, *Vide: Osculum.*

Casus reservati.

*Vide: Approbatio.* 3. *Regulares* 7. 9. *Mendicantes.* 5.

Catechumenus.

1. Opera Catechumenum, ut sunt: fides & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt virtus æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur, *Baj.* 18.

2. Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remissionem

— O —

nem peccatorum, quæ in Baptismi Lavacro  
demum percipitur. *Baj.* 33. *V.* *Amor.* 15.

### Censuræ.

1. Per Censuras Ecclesiasticas, Clerus, po-  
pulum laicalem sibi suppeditat, avaritiam mul-  
tiplicat, malitiam protegit, & viam parat An-  
tichristo, - - qui clerum maxime sibi usur-  
pabit. *Hus.* 19.

2. Qui docent, incorrigibiles per Censuras  
tradendos esse sæculari judicio, sequuntur scri-  
bas, & pharisæos dicentes : *Nobis non licet  
interficere quemquam Hus.* 14.

3. Quoad forum Conscientiarum, Reo corresto,  
eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.  
*Alex.* VII. 44. vide *Excommunicatio.* 4. 7.  
*Janseniana Bibliotheca* per totum.

### Charitas. *Vide Amor.*

*Et Specialiter de Precepto Charitatis, item V. o-  
cem: Lex. N. 5. 6. 7. q. Item: Fides. N. 23.*

### Chorus:

\* Canonici ad recitandos Psalmos Gradua-  
les,

— O —

les, Pœnitentiales, & Off. B. V. Non quidem extra chorum, bene tamen in Choro obligantur: Ex Decr. S. R. C. 2. Sept. 1741. Condito. Quæ Decisio sic generatim, & recentius facta: Posset purari, esse derogatoria Privilégii Pii P. V. in fronte Breviarii; Rom. præfixi. Quia tamen est secuta alia, nempe die 2. Sept. 1755. declarans: Canonicos ad prædicta in Choro recitanda haud obligari, a quibus novum Brev. est receptum. Id circa; Præses etiam S. R. C. 1793, 20. April. non aliter respondit Præposito M. Coloc. quam quod Canonici ad eadē cogi nequeant, nisi ad Off. B. V. (quod ipse S. Pius V. P. exceptit) recitandum, ubi nimirum: Ea consuetudo præcessit. *V. Ferraris Decreto 1309. & Masséhat Inst. Jnr. Can. L. 3. Tit. 41.*

Ut proinde prior illa decisio videatur de illis sonare Capitulis, quæ vetus Breviarium retinuerunt.

### Christus Dominus.

I. Duæ naturæ: Humanitas, & Divinitas sunt unus Christus. *Hus. 4.*

2. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato  
dimisso semper reinanet, & corporis resurrectio,  
proprie non nisi meritis Christi adscribenda,  
est. *Baj. 10. V. Creatio. 7.*

3. Opera justitiae, & Temperantiae, quæ  
Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis  
non traxerunt Majorem valorem. *Baj. 19.*

4. Dedit semet ipsum pro nobis oblationem,  
non pro solis electis, sed pro omnibus,  
& solis fidelibus. *Alex. VIII. 4.* Vide. Jan-  
senius N. 5. Fidei itaque dogma est.

\*Christum Dominum mortuum esse non modo  
pro Electis seu prædestinatis, nec pro solis dum-  
taxat Fidelibus, verum etiam pro aliis. An  
autem pro omnibus omnino, & singulis ho-  
minibus? istud nondum est ab Ecclesia clare  
definitum. Suario tamen videtur: probabiliter  
esse definitum, vel vi modo indicatarum pro-  
positionum. Ac præsertim vi illius I. Cor.  
15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in*  
*Christo omnes vivificabuntur.* Non secus atque  
illius. 2. Cor. 5. *Quoniam si unus pro omnibus*  
*mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

5. Inferior pars Christi in cruce, non com-  
mu-

municavit superiori suas involuntarias perturbationes, *Innoc.* XII. 13.

6. Omnes, quos Deus vult salvos fieri, per Christum salvantur infallibiliter. *Ques.* 30.

7. Desideria Christi, semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. *Ques.* 31.

8. Jesus Christus se morti tradidit, ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, idest electos de manu Angeli exterminatoris. *Ques.* 32. Vide: *Jansenianam* 5.

9. Proh. quantum oportet bonis terrenis, & si hinc meti ipsi renunciare ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam apropriandi Jesum Christum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* *Ques.* 33, Vide: *Via interna.*

10. Christus, & ejus Discipuli nihil habuerunt, & in his, quae habuerunt nullum jus eis fuit. *Joan.* XXII. in *Conc. Lugd.*

11. Anima Christi videt Deum tam clare, & intense, quantum clare, & intense videt seipsum. *Eugen.* IV. Anno 1435. in *Conc.*

*Basi-*

Basileensi antequam illud fieret acephalum,  
damnavit hanc, & seqq. propos.

12. Ratio suppositalis determinans huma-  
nam naturam in Christo, non realiter distin-  
guitur ab ipsa natura determinata, *Ibid.* N. 2.

13. Christus quotidie peccat, & ex quo  
fuit Christus quotidie peccavit. *Ibid.* N. 3.

14. Non omnes justificati sunt membra Chri-  
sti, sed soli prædestinati, *Ibid.* N. 4.

15. Humana natura in Christo est Persona  
Verbi. *Ibid.* N. 5.

16. Humana natura assumpta a Verbo, ex  
unione Personali, est veraciter Deus naturalis,  
& proprius. *Ibid.* N. 6.

17. Christus secundum voluntatem creatam,  
diligit naturam humanam unitam Personæ Ver-  
bi, quantum diligit naturam Divinam. *Ibid.*  
N. 7.

18. Sicut duæ Personæ in Divinis sunt æ-  
qualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Christo:  
humana & Divina sunt æqualiter diligibiles  
propter Personam communem. *Ibid.* N. 8.

19. Si quis dixerit: Filiūm Dei esse creatu-  
ram, ut sunt cæteræ Creaturæ, anathema sit,  
pro-

Propositio hæc est damnata tamquam captiosa.  
*V. Antoine in Append. damnat propos. cap. 1.*  
N. 17.

## Clericus.

1. Non peccat lethaliter Clericus, coimædiis turpibus assistens; si probabile sit, abesse periculum lapsus, & scandali. Hanc propositionem Bened. XIV. declaravit esse scandalosam. *Syn. diœc. L. 7. c. 61. q. 12.*
  2. Clerum ditare est contra regulam Christi: *Wicl. 32.*
  3. Contra scripturam est: quod Viri Ecclesiastici habeant possessionem. *Wicl. 10. Vide Possessiones. 1. 2. 3. Dominus. 2. Nē gotiatione 1. 2.*

## Comestio.

Comedere , & bibere usque ad facietatem  
ob solam voluptatem, non est peccatum, mo-  
do non oblit valetudini, quia licet potest appeti-  
tus suis aetibus frui. *Innoc. XI. 8.*

## Communio Eucharistica.

- I. Magnus est error eorum, qui Sacra-  
mentum

— O —

tum Euharistiae accedunt, huic innixi: quod  
sint confessi, quod non sint sibi consciit alicujus pec-  
cati mortalis, quod præmiserint orationes suas,  
& præparatoria, omnes illi ad Judicium sibi  
manducant, & bibunt, sed si credant, & con-  
fidant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fi-  
des facit eos puros, & dignos. *Luth.* 15.

2. Consultum videtur, quod Ecclesia in coin-  
muni Concilio statueret, Laicos sub utraque  
specie communicandos, nec Bohemi sub utra-  
que specie communicantes sunt Hæretici sed  
Schismatici. *Luth.* 16.

3. Præceptio communionis annuae fatis fit per  
sacrilegam Domini mandationem. *Innoc.*  
*XI.* 55.

4. Frequens Confessio, & Communio, es-  
tiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota præ-  
destinationis. *Innoc.* XI. 58.

5. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad com-  
munione percipiendam prætendunt, ante-  
quam condignam de delictis suis pœnitenti-  
am egerint. *Alex.* VIII. 22.

6. Similiter arcendi sunt a S. Communio-  
ne, quibus nondum inest amor Dei puris-  
simus,

simus, & omnis mixtionis expers. Alex. VIII.

23.

\* 7. Opstrædt, in libro *Pastor bonus* intitulato, pagina mihi 355, „Tertii inquit generis sunt, qui quidem in criminis non labuntur, sed vivunt in amore prædominante sæculi - hi ergo nunquam admittendi sunt ad communionem. Rationeim autem sui placiti eam adfert, quod sine amore Dei prædominante, seu appretiative summo, nemo digne, sed potius indigne, adeoque sacrilege cotnunicit.“ Hæc dicit quoad sensum. Impingit itaque in propositionem 23. ab Alex. VIII. damnatam. Simulque agit contra Catholica-  
cam doctrinam hic N. 3. relatam, hac enim ratione non modo quotidiana, aut saltē frequens, sed & rara, imo etiam rarissima red-  
deretur communio sacra. *Vide: infra annotationem præambulam, ad Titulum: Jansenismus.*

8. Catholicam econtra doctrinam explicuit cong. Cardinalium sub Innoc. XI. 13. Febr. Anno 1679. celebrata, quam etiam Ben. XIV. Syn. Diœ. L. 7. c. 12. §. 9. ratam habuit,  
est.

— O —

estque hujusmodi: „Nemo a sacra communione,  
qui frequenter, seu quotidie accedit, repellatur,  
& nihilominus Confessarius det operam: ut u-  
nusquisque pro devotionis, & præparationis  
modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis  
suavitatem degustet. Redarguant solum Epi-  
scopi afferentes: communionem quotidianam  
esse de jure Divino.“

9. Parochiani non tenentur in propria Pa-  
rochia Communicare in Paschate.

\* Propositio hæc declarata est falsa, scan-  
dalosa, temeraria a Parisiensi Univers. 1727.  
*Ut est in Syn. Dœc. l. 9. c. 16. N. 5. Ubi  
per voes: In Paschate, intelligiur: Tempus  
Paschale.* Id tamen verum est, quod Domini-  
nica Resurrectionis, extra Parochialem Ecclesi-  
am non liceat largiri Eucharistiam sacerdibus,  
nisi per Privilegium, aut facultatem Episcopi  
vel etiam ( quod DD. tradunt ) per consuetu-  
dinem. V. *Parochia* 3. 4.

Compensatio, V. *Furtum. item.*

*Confessarius I. 2.*

Concilium.

I. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic

vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præfertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale approbatum, vel reprobatum *Luth.* 28.

2. Via nobis facta est, elevandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quid quid verum videtur: sive probatum fuerit, sive reprobatum a quoque Conclilio. *Luth.* 29.

3. Condemnatio 42. Articulorum Joannis Wicleffii per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malefacta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo: quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum, aut hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus. *Hus.*  
25.

4. Aliqui Articuli Joannis Hus condemnati in Conclilio Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia potest damnare. *Luth.* 30.

5. Futilis, & toties convulsa est: de Pontificis Romani super Concilium Oecumenicum auctoritate

 O   
Auctoritate, atque in fidei quæstionibus decer-  
nendis infallibilitate. *Alex. VIII.* 29.

\* Super qua propositione Antoine sic  
differit: „ Romanum Pontificem esse Petri suc-  
cessorem, totius Ecclesia: caput; ac unitatis cen-  
trum omnes Catholici firmissime credunt, eique  
prærogativam concessam esse: Ne erret in  
rebus fidei. Et quæ supra concilium sit: do-  
cet, scripturæ: Dum super Petrum Ecclesiam fun-  
datam ait ac Petro Privilegium concessam:  
**Ne ei fides deficeret,** V. propositionem. 2.  
**Cleri Gall.**

### Concubinatus

I. Non est obligandus concubinarius ad ej-  
ciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad  
oblectandum concubinarium vulgo: *Regalo*; dum  
deficiente illa nimis ægre ageret vitam, &  
aliz epulæ tædio magno concubinarium af-  
ficerent, & alia famula difficile inveniretur.  
*Alex. VII.* 41.

### Concupiscentia.

I. Prava desideria, quibus ratio non con-  
sentit,

— O —

sentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: *non concupisces.* Baj. 50.

2. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ invitit sentiunt homines, sunt vere legis inobedientia. Baj. 51.

3. Concupiscentia in renatis, relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur peccatum est, sicut & alii habitus pravi Baj. 74. -

4. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto: *Non concupisces.* Unde homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum. *Non concupisces.* Quamvis transgressio in peccatum non deputetur. Baj. 75.

5. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Dileges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Baj. 76, *Vide: Amor a N. 1. ad 5. Item: mortis alienæ desiderium.*

### Confessarins.

I. Confessarius caret jurisdictione absolvendi  
fo-

— O —

socium criminis in ordine ad illud crimen,  
cujus est complex, et si nihilominus absolvat,  
ipso facto incurrit excommunicationem Papæ  
reservatam, nec est liber ab hac poena, esto  
id faciat in agone complicis, si vel simplex ad-  
sist Sacerdos, quamvis si absolveret, præsente  
etiam alio Sacerdote, valida foret ejus absolu-  
tio in articulo mortis, definivit *Bened. XIV.*  
*Bulla: Sacramentum pœnitentiae.*

2. Confessarii, qui temere interrogant suos  
pœnitentes de socio criminis alioquin denegan-  
tes absolutionem, peccant graviter, incurru-  
ntque censuram suspensionis ferendæ sententiae,  
suntque denunciandi, sicut etiam illi,  
qui istad licere docent. *Ita idem Bened.*  
*XIV. in Constat. Eradicandum.* Ubi tamen  
addit: non dari obligationem denunciandi Con-  
fessarios, id agentes ex quadam imprudentia,  
& simplicitate, qui que agnosci non possint,  
hanc praxim, sibi licitam statuisse. *Consule Bul-  
lam ejusd. Pontif. Ubi primum.*

3. Non tenemur Confessario interroganti  
sateri peccati alicujus consuetudinem. *Innoc.*  
*XIV. 58.*

4. Licet per literas, sive per internuncium Confessario absenti Sacramentaliter Confiteri, & ab eodem absente absolutionem petere. *Damnata est haec prop. a Clem. VIII. 20. 1602.* Paulus autem V. damnationem eandem de utraque propositionis parte intelligit.

\* Ut indubium sit: Eandem non solum conjunxit, seu quoad Confessionem, & Absolutionem, verum etiam divisit, nempe: Quoad alteram, esse danuatam. Ipsa videlicet: Sacramenti Pœnitentie administratione id exigente: Ut non modo Absolutio sed, & Confessio; eaque viva voce a præsentibus per se loquendo proficiatur. Dixi: *Per se loquendo.* Nam per accidens, v. g. in Article mortis, Confessio Sacramentaliter, id est: in ordine ad absolutionem ordinata, Sacerdoti esto absenti facta, valida, & licita est, quando aliter fieri nequit. Plura de his Antoine: Tract. de Pœnit. Q. 16. seqq.

\* An vero subsistat nec ne, Eorum sententia, qui docent cum Suario: licitam esse Confessionem per internuncium, aut literas ab absente pœnitente factam, quam tamen Absolutio præ-  
sen-

senti, atque ad scriptam Confessionem se re-  
vocanti, danda, sequatur? Quæstio, in ordi-  
ne ad praxim inutilis esse videtur: Vel enim  
pœnitens ille jam præsens, poterit scripta pec-  
cata recensere, vel non? Si Primum? Ni faci-  
at; nulla est Confessio scripta, Ut pote quæ  
non aliam vim habere queat; nisi tandem supple-  
menti in defectu oralis Confessionis, sin mi-  
nus? Casus erit, necessitatis supra resolutus.  
Quo nimirum: quovis nutu, & signo peracta  
Confessio, sufficit *V.* *Absolutio*: 1. 2. 3. *Bene-*  
*ficium* 2. *Confessio*. 5. *Sacerdos* 4. 5. *solicitatio*.  
1. 2. *Sigillum*: 1. 2. 3. 5. 6.

5. Confessarius etiam a Diœcesano approba-  
tus esto Parochus sit, Rectorem tamen alterius  
Ecclesiæ adire non prætermittat, ubi Sacra-  
mentum Pœnitentiæ administrare debet. *Ita*  
*Ben. XIV. Inst. 86. N. 14.*

### Confessio.

1. Si homo fuerit debite contritus, omnis  
**Confessio** est sibi superflua, & inutilis. *Wie-*  
*lef. 7.*

2. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas, unde in primitiva Ecclesia, solum manifesta mortalia confitebantur. *Luth.* 8.

3. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ad ignoscendum. *Luth.* 9.

4. Peccata in Confessione omissa, seu obliata, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione explicare. *Alex.* VII. 11.

5. Satissimæ præcepto Ecclesiæ, de annua Confessione, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. *Alex.* VII. 13.

6. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. *Alex.* VII. 14.

7. Non commissa gravi culpa, præceptum annuæ Confessionis non obligat, nec tenetur quis se peccatorem saltem semel quotannis Confitendo recognoscere. *Ben.* XIV. contrari-

um

um docet, copulative. *Inst. Eccl. cap. 18. §.*

4. *V. Parochia ad \**

8. Confessio de peccatis in specie; fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae, non de jure Divino, *Sixtus IV. Anno 1489. contra Magistrum Oxoniens. N. 2.*

9. Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur, sine ordine ad claves. *Idem N. 3.*

10. Confessio debet esse secreta, idest: de peccatis secretis non de manifestis. *Idem N. 4.*

II. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta. *Idem N. 5. Vide: Quies N. 6. via interna. 10. Regularis, & Mendicantes. Confessarius. 4. Communio. 4. Item Vocem: Quam primum, & Parochia I. 2. 3.*

Conjugii Opus. *V. Copula*  
*Consuetudo.*

Non est evidens: quod consuetudo non comedendi ova, & laeticiaria in quadragesima, obli-

— O —

obliget. *Alex. VII.* 32. *vide Confessarius 3.*  
*Absolutio 2.*

Constantiense Concilium.


*Vide: Concilium. 4. Juramentum.*

Contemplatio. Contemplativus status.

1. Datur status contemplationis adeo subtilis, adeoque perfecte, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio fiat contemplativa, non discursiva, & tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos. *Innoc. XII. 16.*

2. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur - - Ista compositione actuum discursivorum, & reflexiorum est propria exercitatio amoris imperfecti. *Innoc. XII. 15.*

3. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto sensibili, & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis. 1. Fervore nascente eorum contemplationis, 2. In extremis probationibus. *Innoc. XII. 17.* *Vide: Amor purissimus.*



4. *Mystici cum S. Bernardo: in Scala claustralium.* Distinguunt 4. gradus: *Lectionem*, *meditationem*, *orationem*, *contemplationem*. Qui semper est in primo, nunquam transit ad 2<sup>dum</sup>. Qui semper est in 2<sup>io</sup>, nunquam ad 3<sup>tium</sup> pertingit, quæ est contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat animam, nihil tale expectantem ad contemplationem infusam, & hac cessante redeundum est animæ ad gradum 3<sup>tium</sup>, & in eo consistendum non amplius revertendo ad 2<sup>dum</sup> vel 1<sup>mum</sup> *Mol.* 23.

5. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius, seu mortaliter, seu venialiter. *Mol.* 57.

6. Ad ejusmodi statum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus ex reflexione oriuntur. *Mol.* 58.

7. Nullus meditatus veras virtutes exercet internas, opus est, amittere virtutes. *Mol.* 31. *Vide: Beguardi.* 6. *Theologus.*

Con-

Contractus.

I. Legibus civilibus admissis licitum esse, contrahentibus invicem se decipere usque ad dimidium justi pretii. *Derogatum est Innoc.*  
*III. cap. Per tuas s. de donat.*

Contritio.

I. Peccata mortalia quantum ad culpam, & poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claves. *Sixtus IV. Anno 1489. contra magistrum Oxoniensis. N, I. Vide: Absolutio. s. Amor. 18. Attritio per totum. Confessio. I. 8.*

Cooperatio. *Vide: Famulus.*

Copula.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret, ac defectu veniali. *Innoc. XI. 9. Vide: Adulterium. 2.*

Correctio Fraterna.

Alexander VII. die 8. Julii 1660. repro-  
bavit

bavit illorum opinionem, qui docebant: criminia ad S. Officii Juris. spectantia, denuncianda illi non esse, nisi correctione fraternali præcedat. *Vide: Syn. Diœc. L. 6. c. 11. N. 7.*  
*ubi etiam de Correctione Fraternali denunciationi in aliis materiis præmittenda agitur; An nempe præmittenda sit vel secus? V. Denunciatio.*

### Corpora resurgentium.

*Vide: Resurgentium Corpora*

Creatio I<sup>mi</sup> Hominis.

1. Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi scripturæ non recte vocantur gratia, quo sit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari. *Baj. 7.*

2. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratiæ? sed quia secundum scripturæ usum nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque me-

merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia diei debet. *Baj.* 9.

3. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. *Baj.* 26.

4. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis. *Baj.* 21.

5. Deus non potuisset ab initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur. *Baj.* 55.

6. Falsa est Doctorum sententia: Primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali. *Baj.* 79.

\* Seu ita, ut sit obnoxius rebellioni carnis.

7. Quod pie, & juste in hac vita mortali usque ad finem conversati, vitam consequimur æternam; id non proprie gratiae Dei; sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione ad Christi meritum, respicitur, sed tantum ad primam institutionem

gene-

E

generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio, obedientiae mandatorum vita æterna daretur. *Baj.* 11.

7. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia. *Baj.* 1.

9. Gratia Adami, non producebat nisi merita humana. *Ques.* 34.

10. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ humanæ. *Ques.* 35. *Vide:* *Fædus* 4. 5. *Immortalitas.* 1. 2. *Pelagius* 3. *supernaturale.* 1. 2.

### Denuntiatio.

Quamvis evidenter tibi constet. Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. *Alex.* VII. 5. *Vide:* *Solicitatio.* 1. 2. *Confessarius.* 2. *Corrrectio Fraterna.*

Desideria prava. *Vide:* *Concupiscentia.*

*Item: Mortis alienæ Desiderium.*

### Detractio.

1. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis  
au-

authoritatem magnam, sibi noxiā, falso cri-  
mine elidere. *Innoc. XI.* 43.

2. Probabile est, non peccare mortaliter,  
qui imponit falsum crimen alicui, ut suam ju-  
stitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit  
probabile, vix illa opinio erit probabilis in The-  
ologia: *Innoc. XI.* 44.

### Devotio sensibilis.

1. Qui desiderat, & amplectitur devotionem  
sensibilem, is nec desiderat, nec quaerit Deum,  
sed seipsum, quiq[ue] per viam internam ince-  
dit; male facit eam desiderando, ac habere  
conando, sive in locis sacris, sive diebus so-  
lennibus. *Mol. 27. Vide: hic numerum 5.*

2. Quid quid sensibile in vita spirituali per-  
cipitur, illud omne abominabile est, folidum  
& immundum. *Mol. 30.*

3. Bonum est taedium rerum Spiritualium,  
quia sic ab amore proprio expurgainur. *Mol.  
28.*

4. Dum anima interna fastidit discursus de  
Deo, virtutibus, manetque frigida, non sen-  
tiendo

tiendo se ad fervorem accendi: bonum signum est. *Mol.* 29.

5. Male facit anima, quæ via ista interna graditur, si diebus solennibus velit conatum aliquem particularem facere ad habendum sensum aliquem devotionis, quia animabus internis omnes dies sunt pares, omnes dies festi. Idemque est de locis sacris, cum omnia his animabus sint paria. *Mol.* 33. *Vide: Amor purissimus: Annibilatio. Via Interna. per totum.*

### Deus.

1. Deus debet obedire diabolo. *Wicleff.* 6.
2. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare. *Alex.* VIII. 25.
3. Deus subiectit nobis omnipotentiam suam. *Innoe.* XI. 1679. 23. nov.
4. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat villam, vel librum. Idem, qui supra.

\* Duæ tamen hæ propositiones, non præjudicant sententiaz concursum Dei immediatum adstruenti, nam esto ille indifferens sit, nequam tamen est subjectionis, sed dignationis &

& Dominii, quem Is possit nobis semper subtrahere.

5. Deus a nobis non exigit mortificationes, sed tantum preces. *Molinus* : 38. seqq. *V. Mortificatio*. 1. 2. 3.

6. Eugenius III. in Rhemensi Cone. Sec.  
12. contra Gilbertum Porretanum Scholæ Parisiensis præfectum, hunc edidit Canonem : „Credimus simplicem naturam Divinitatis esse Deum, sicuti autem dicitur : Deum Sapientia sapientem, magnitudine magnum, & alia hujusmodi, credimus nonnisi ea Sapientia, qua est ipse Deus Sapientem esse &c.“ Ex quibus verbis patet errorem Porretani in eo fuisse : Quod is docuerit : Attributa Divina, sic & personalitates ipsas a natura seu essentia Dei realiter distinctas esse, cum tamen non nisi ratione, vel ad summum ex natura rei (ut scotistæ docent) nullatenus vero ut res a re distinguantur.

7. Contrario errore lapsus est : Eunomius Arianus, qui omnem etiam rationis distinctionem negavit attributorum Divinorum, tum inter

— O —

inter se, tum a natura Dei, afferuitque omnia  
Divina, idem & plane eodem modo significa-  
re naturam Divinam, nec differre, nisi secun-  
dum nomen. Cujus opinio a Patribus, & Ec-  
clesia semper damnata est. *Vide: Anima.* 3.  
*Annibilatio.* 3. *Gratia.* 3. 4. *Trinitatis My-  
sterium.* *Beguardi.* 5. *Opus Bonum.* 2. *Paxochia:*  
I. 2.

**Dilectio. V. Amor. Concupiscentia. 5.  
Disciplina.**

Facultas Parisina 1644. declaravit: Tem-  
tarium esse, atque, erroneum damnare: Di-  
sciplinam Ecclesiasticam ab omnibus Catholicis  
receptam.

\* In quam quidem Propositionem impin-  
gunt omnes illi ( si Superis placet ) Reforma-  
tores: qui, ut recentiores Ecclesiae consue-  
tudines de corruptelis traducant, ac abusibus;  
veteres præ novis extollunt mores. Cum ta-  
men, singuli, relate ad circumstantias, & fi-  
nes suos existant suo in genere perfecti.

\* Deque fide tenendum sit: Dari in Eccle-  
sia

sia Potestatem, variandorum rituum ac consuetudinum mere disciplinariarum.

### Dispensatio.

Homo in sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit in ejus utilitatem. *Ques. 71.*

### Distinctio. Divisio.

I. Amoris duplicitis. *Vide: Natura.* 6. 7.

II. Divinæ legis. *Vide: Lex.* 4.

III. Justitiæ duplicitis. *Vide: Justificatio.* 2. 3.

IV. Operum bonorum. *Vide: Meritum.* 7.

V. Operum humanorum. *Vide: Opus bonum*

### Dominus.

1. Populares possunt ad arbitrium Dominos delinquentes corrigere. *Wicleff.* 17.

2. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est: ex habitu, non solum actu delinquentibus. *Wicleff.* 16.

3. Nullus est Dominus civilis, nullus est  
Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in  
peccato mortali. *Wicleff.* 15. *Huss.* 20, 22.

### Duellum.

1. Vir equestris ad duellum provocatus, po-  
test illud acceptare, ne timiditatis notam apud  
alios incurrat. *Alex.* VII. 2.

2. Damnavit eandem propositionem Bened.  
XIV. etiam pro casu, quo Vir ille, aut qui-  
vis aliis officio ad sustentationem sibi unico  
necessario, vel spe promotionis debita, priva-  
retur, nisi duellum acceptet, idque esto præ-  
videretur pugna non secutura, aut pro certo  
impedienda. *Bulla:* *Detestabilem.* *Die* 10.  
*Nov.* 1752. *data,*

\* Ubi etiam sententia permisoria Sepulturæ  
esto præmittatur pœnitentia, damnatur, intel-  
lige: si notorium fuerit duellum; nam si fuc-  
rit occultum, opus erit sententia Eppi. *Vide:*  
*Maschiat Inst.* J. *Can.* L. 5. *Tit.* 14. *N.* 8. *fin.*  
*U. seqq.* sed peculiariter *Elenchum ibidem.*

3. Nec solum pro moderno Reip. statu, u-  
bi

bi communiter dantur alia media se immunem  
præstandi, intelligi istud voluit Pontifex, ve-  
rum etiam pro casu male ordinatae Reip. at-  
que etiam pro hypothesi status naturæ, in-  
quibus deesset locus justitiæ administrandæ, ut  
*supra.*

4. Declaravit insuper; incurri poenas in duel-  
lantes latus, etiam ab iis, qui his casibus ac-  
ceptarunt duellum. Ibidem. *Vide: Occiso*  
*per totum.*

### Ecclesia Catholica,

1. Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ,  
nec Papa est proximus, & immediatus Vica-  
rius Christi, & Apostolorum. *Wicleff.* 37.

2. Non est de necessitate salutis credere:  
Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias  
Ecclesiæ. *Wicleff.* 41.

3. Unica, & Sancta universalis Ecclesia est,  
quaæ est prædestinorum universitas. *Hus.* 1.

4. Sumendo Ecclesiam pro convocatione  
prædestinorum, sive fuerint in gratia, sive  
non, 2<sup>dum</sup> præsentem justitiam, isto modo Ec-  
clesia est Articulus fidei. *Hus.* 5.

5. Gratia prædestinationis est vinculum, quo Corpus Ecclesiæ, & quodlibet membrum ejus jungitur Christo capiti insolubiliter. *Hus. 21.*

6. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet,, fecerit quosdam actus, Ecclesiæ malignantium consimiles. *Hus. 2.*

7. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet. *Hus. 3.*

8. Præscitus etsi aliquando est in gratia, secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars Ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia , sed non a gratia prædestinationis. *Hus. 5.*

9. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.  
*Ques. 29.*

10. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehensio, & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum. *Ques. 72.*

II, Quid est Ecclesia, nisi cætus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo,

Christo, subsistentium in ejus Persona, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & exspectantium gratiam futuri saeculi?

Ques. 73.

12. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, justi omnium saeculorum illam compnunt. Ques. 75. 76. 77. 78.

13. Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiae S. Catholicæ. Hus. 7,

14. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri dissensiones propter res, quæ nec fidem laudent, nec mores. Ques. 94.

15. Ecclesia Dei senescit, & sensim deficit, Ques. 98. in *in fine, quoad sensum*. Vide hic Trædicio. 4.

\* Opstrædt defectum hunc possibilem esse asserit, in suo libro *Pastore scilicet Bono*. pag. mibi 396. Ibi enim docet. „Posse cujuscunque temporis scriptores prope universos conspirare in doctrinam aliquam, laxam, scandalosam, & perniciosam.“ Quod quidem dictum summe temerarium est, & repugnat prviden-

videntia Divinæ , Ecclesiam suam , per Doctorum scripta , tanquam partem præcipuam traditionum conservantis.

16. Ecclesia Urbis Romæ errare potest. \* Reprobavit hanc propositionem Congregatio Complutensis in causa Magistri Oxoniensis N. 7. Sixtus IV. 1489. Vide : Papa 14. Religio.

### Electio.

Electores , & electio , nullum ulli conferunt officium , sed sola opera meritoria illius officii , sive dum quis in Papam seu in Episcopum eligatur. Huss. 26. quod sensum.

Eleemosyna. Vide Superfluum.

### Elevatio Corporis Christi.

In elevatione Corporis Christi , non debent assurgere nec eidem reverentiam exhibere : hoc enim esset imperfectionis , se eo demittere. Concil. Vienen. inter Beguardinas.

### Emptio.

Potest aliquis emere rem vilius ab illo , qui vendit

— O —

vendit necessitate compulsus. \* Propositio  
hæc damnata est ab Academia Parisiensi.  
1665. vel ut falsa, scandalosa, Justitiæ, & cha-  
ritati contraria. Vide: *Venditio. Contractus.*

### Episcopus.

1. Confirmatio, ordinatio, consecratio reser-  
vantur Papæ, & Episcopis, propter cupidita-  
tem lucri temporalis, & honnoris. *Wieleff.*  
28.

2. Nullus sine revelatione afferit rationabi-  
liter de se vel alio, quod esset caput Eccle-  
siæ particularis, nec Romanus Pontifex est ca-  
put Ecclesiæ Romanæ particularis. *Huss.* 10.

3. Episcopus vel Sacerdos si sit in pecca-  
to mortali, non consecrat, non conficit, non  
baptizat. *Wicöff.* 4. Pœnitentia Sacramentum. 3.  
5. Beneficium. 2.

### Epistolæ Decretales.

Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & se-  
ducunt a fide Christi, & Clerici sunt stulti,  
qui student iis *Wicleff.* 38.

\* Non

\* Non desunt, qui suspicentur: *Per Decretales Epistolas*, Wicleffum intellexisse: Omnes omnino Theologorum, & Canonistarum libros, qui testimoniis illarum, ad id usque temporis usi fuissent. Verum istud, præterquam quod, non tam errasse ipsum, quam delirasse ostenderet, falsum etiam esse evincit, Autoritas tuu Gersonis Concilio præsentis, tum Thomae Waldensis, iussu Martini P. V. contra, Wicleffum scribentis, quorum neuter ultra Isidorianas isthic processit Epistolas.

Quemadmodum autem Thesls haec Wiclefiana tribus constat partibus; ita Jure damnatae sunt omnes, ut ut singulae ex diversis rationibus. Ac I<sup>ma</sup> quidem: *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ*. Ob vocis hujus ultimæ: Ambiguitatem. Liber enim Apocryphus latiori sensu dicitur: qui esto non sit authenticus, neque tamen habetur pro vetito, sed protali solum, de cuius supposititio auctore dubitatur.

Aliquando autem Vox eadem rigorose accipitur, pro libro scilicet: qui Fidei, vel moribus contraria, aut saltem falsa contineat.

At-

— O —

Atque in sensu 1<sup>mo</sup> neutiquam damnata est propositio, bene vero in secundo: Cum Epistolas Isidorianaæ nec Fidei, nec bonis moribus aduersentur. Secus errasset Concilium damnando Wicleffum, de iis dicentem: *Quod seducant a Fide Christi.* Quamquam nec titulo falsitatis poterant ita, prout verba jacent, *Universaliter configi.* Cum plures Epistolas complectantur authenticas, recenset eas Van-Espen unde illud quoque elucefecit, cur pars 2<sup>da</sup> Propositionis, ista nempe: *Seducunt a fide Christi,* damnata sit. Pars porro tertia, qua dicitur: *Et Clerici stulti sunt, qui student iis.* Intolerabilis supercilii est, atque una impeditiva studii Ecclesiae utilissimi: Eo enim ipso, quod falsa aliqua, aut saltem dubia misceant veris, disciplinam Ecclesiasticam respicientia, jam utiliter student illis Clerici. Ut discant grana tritici, secerne re a paleis. Proscripta itaque est dicta propositio: Partim propter ambiguitatem, partim propter Universalitatem, partim propter falsitatem, partim denique ob immodicam censuram. Haec ad Wicleffum?

\* Sed



\* Sed per quæ datur illis quoque satis intelligi, qui esto longe absint ab hac ipsius hallucinatione: acerbitate nihilo secius Aristarchica superant eundem, ut qui, posthabita omni Sanctorum Patrum, Doctissorum Virorum, Summorum denique Pontificum, qui ad saeculum usque octavum Epistolas Decretales summo in pretio habebant, reverentia, parvi pendunt, easdem compellare Apocryphas, nisi insuper: Pudendarum mercium, stupidorum commentorum, putidarum imposturarum, aliisque id genus scommatum maculas iisdem impingant.

Quae quidem Epistolæ, quemadmodum hic non defenduntur, ita moderamini inculpatae ( ne quid nimis ) commendantur censuræ. Ejus nempe: modi, quali usus est primus eaurundem Censor Hincmarus Rhemensis, dum Laudunensi rescriberet: *Epistolas Decretales venerandas esse, in quibus a posterioribus Conciliis non fuerint immutatae*, vel, si cui testis hic, jam pro obsoleto reputaretur, audiat is recensionem a duobus Summis Pontificibus: Benedicto nimirum XIV. & Clement XIII. lectum, ac approbatum; Cl. videlicet: P. Thomam ex-

Char-

Charimes Theol. Tom. I. pag. mihi 318. seqq.  
Qui ultra hos limites profilierit, plus sibi Ju-  
ris in censuram Propositionum arrogabit, quam  
quod isthic adhibuit ipsum adeo Constantien-  
se Concilium.

\* Ego vero haud exorbitavero: Si hac oc-  
casione, notam, non Ecclesiasticam quidem;  
sed tamen Historicam affigam illis, qui spargere  
præsumunt: illam ejusdem Concilii Constanti-  
ensis Bullam, quam nempe: Werböczius P. I.  
T. II. §. 5. pro confirmandis Regni nostri li-  
bertytibus allegat, Apocrypham esse. En ver-  
ba Auctoris: *Prout in Bulla Superinde confessus*  
*clare continetur: Quæ sane sic affirmata dicta,*  
*eandem ab ipso lectam fuisse satis indicant,*  
*cum ejusmodi sint, quibus Inspectio ( quam*  
*nos oculatam vocamus) atque scriptoris; Con-  
cilio ( ut minus ) supparis ætas comprobetur.*

Nec obstat: Eandem inter Acta Synodi  
illius non reperiri. Hinc enim conficeret: mül-  
tos etiam Fidei articulos, perperam tribui iis  
Conciliis, quibus reapse sunt definiti: Ea præ-  
eise de causa, quod nulla eorum inibi fia-

men-

F

mentio; cuiusmodi v. g. sunt Almarici delicia; quibus is assertebat: „Gubernium Dei Patriis non se extendisse ultra Vetus Testamentum, successisseque ei Regimen Dei Filii in novo Testamento; Quod ipsum subinde, nempe: saeculo 12. transiverit ad Spiritum S.“ &c. Quas tamen assertiones nemo nostrum est, qui non habeat pro damnatis, ac nominatim in Concilio Generali, ut ut in illo expressæ non legantur. Contenti videlicet: eo, quod a fide dignis Doctoribus illæ referantur, ibi fuisse proscriptæ.

Cum igitur Bullæ quoque nostræ memoriam nobis conservaverit Werböczius, Pazmanusque cum aliis Patriotis Auctoriis; non est profecto, cur de illius authenticitate dubitemus. Nisi fors alicui scrupulum moveret: Quod nec quidem Turoczius, ac Bonfinius Synchroni Werböczio „scriptores, Bullæ ejusdem meminerint? sed enim sicut his, veluti Historiographis: Historica, ita Werbocchio, ut pote Juris - Consulto: juridica majori accurate rimanda erant documenta, in vastissimo videlicet illo Corvinianæ, Bibliothecæ oceano. Et improvide admodum egisset Werböczius:

Si

Si fundamentalia Regni nostri Privilegia, Apo-  
crypho adnisus fuisset probare monumento! In-  
firmasset enim magis ea quam stabilivisset.

Ad quod quidem advertere ante omnes, ca-  
rat Censorum, quibus Rex exactissimam ope-  
ris imperaverat crism, ac censuram: Tum  
vero, Proceribus Regni, ac præsertim Tripar-  
tito subscriptis incumbebat: ne qua, in nego-  
tio tanti momenti, quo Hungaria tunc gra-  
vius non habebat, orbi palpus obtruderetur.  
Neque est, quod mihi hic quis exprobret illud  
Horatianum.

*Purpureus late, qui splendeat unus . & alter as-  
fuitur pannus. -- Sed nunc non erat his locus.  
Immo vero erat, ac vel maxime Scriptori Hungarо:  
Eo ipso quod Concilii Constantiensis tam op-  
portuna se se obtulerit mentio. Quod nempe:  
non solum indefessis Sigismundi Imperatoris,  
& Regis Hunga. studiis, feliciter congrega-  
tum, continuatum, terminatumque fuerit, verum  
etiam Privilegiorum Nostratium confirmatione;  
se se a cæteris distinxerit Conciliis, gratamque  
proinde memoriam sui apud omnem meruerit  
gentis nostræ posteritatem!*



## Eucharistia.

1. Substantia panis materialis, & substantia vini materialis remanent in Altaris Sacramento. *Wicleff. 1.*

2. Accidentia Panis, & Vini non manent sine subiecto, in eodem Sacramento. *Wicleff. 2.*

3. Christus non est in eodem Saeramento identice, & realiter propria præsentia corporali. *Wicleff. 3.*

4. In elevatione Corporis Christi non debent surgere, nec eidem reverentiam exhibere, afferentes ( videlicet Beguinæ ) quod esset imperfectionis, eisdem si a puritate, & altitudine fore contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistie, aut circa passionem humanitatis Christi ab aliis cogitarent. *Est una ex Thesibus Beguinorum, Reliquas Vide: Beguardi.*

5. Gregorius XI. pœnam anathematis statuit in eos, qui dedignabantur fateri : Christum sub speciebus Sacris in loco immundo, veluti in ventre hominis, aut muris ore, aut luto remanere. *Sandinus, in Vita ejusdem.*

\* Com-

— O —

\* Commemorationem de Sacramento, post alias omnes orationes de Præcepto esse faciens dam, & in Missis solennibus celebrandis in Festis 1<sup>mae</sup>. & 2<sup>æ</sup>. Classis esse eandem commemorationem faciendam sub unica conclusione.

S. R. C. 23. Julii 1736.

Idemque præscribitur pro Dominicis 2<sup>æ</sup> Cl. In Instruc. Clementina, pro Expositione 40. Horarum. Ita Respondit Præses, S. R. C. Præpos. Majori Coloc. 20. April. 1793.

### Excommunicatio.

1. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo, & qui sic excommunicat, sit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus. *Wicleff. 11.*

2. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis ac Regni. *Wicleff. 12.*

3. Excommunicatio Papæ, vel cuiuscunque Praelati non est timenda, quia est censura Antichristi. *Wicleff. 30.*

4 Excommunicationes sunt tantum exterñæ  
pœnæ, nec privant hominem communibus  
spiritualibus Ecclesiæ orationibus. *Luth.* 23.

5. Docendi sunt Christiani plus diligere ex-  
communicationem, quam timere. *Luth.* 24.

6. Ecclesia authoritatem excommunicandi  
habet, ut eam exerceat per primos Pastores,  
de consensu saltem præsumpto totius Corporis  
*Ques.* 90.

7. Excommunicationis injustæ metus, nun-  
quam debet nos impedire, ab implendo de-  
bito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, et-  
iam quando hominum nequitia videmur ab  
ea expulsi, quamdiu Deo Jesu Christo, atque  
ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.  
*Ques.* 91.

8. Pati potius in pace excommunicationem. &  
anathema injustum, quam prodere veritatem, est  
imitari S. Paulum, tantum abest, ut sit erige-  
re se contra auctoritatem, aut scindere unita-  
tem, &c. *Ques.* 92.

9. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ  
præceps primorum Pastorum festinatio infli-  
git, sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod  
ipſi

— O —

ipſi inconſiderato zelo reſcindunt. *Ques.* 93.  
*Vide Cenſuræ. 1. 2. 2. Prædicatio. 1. Regulae  
res. 9.*

### Famulus.

Famulus, qui ſubmissis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum ascendere per fenestrā ad virginem ſuprandam, & multoties ei ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut ad ſimile quid cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta: ne a Domino male traſtetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne de domo expellatur. *Innoc. XI.  
51.*

Fenelon. *Vide: Amor purissimus.*

Festi dies. *Vide: Devotio. 1. 5. lex 3.*

### Fides.

\* De Fide hominibus data. *Vide Juramentum  
6. Hic agitur de fide Divina.*

I. Nulla datur gratia, niſi per fidem *Ques.  
26.*

2. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum gratiarum. *Ques. 27.*

= = =

3. Omnia salutis media continentur in fide,  
tanquam in suo germine, & semine, sed hæc  
fides non est absque amore, & fiducia. *Ques.*  
*52.*

4. Dei bonitas abbreviavit viam salutis o-  
mnia concludendo in fide. *Ques. 68.*

5. Fides, usus, augmentum, & præmium Fi-  
dei, totum est donum pure liberalitatis Dei.  
*Ques. 69.*

6. Fides justificat, quando operatur, sed  
non operatur, nisi per charitatem. *Ques. 51.*

7. Necesse est infidelem in omni opere pec-  
care. *Alex. VIII. 8.*

8. Omnia opera infidelium sunt peccata, &  
Philosophorum virtutes sunt vitia. *B. 25. Vid-*  
*bis infra. N. 17.*

9. Omne, quod non est ex fide Christiana  
supernaturali, quæ per dilectionem operatur,  
peccatum est. *Alex. VIII. 11.*

10. Quando in magnis peccatoribus deficit  
omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi vi-  
deantur credere, non est fides Divina, se hu-  
manana. *Alex. VIII. 12.*

11. Quid aliud esse possumus sine fidei lu-  
mine,

mine, sine Christo, sine Charitate, nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum. *Ques.* 48.

12. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. *Innoc.* XI. 65.

13. Satis est actum fidei semel in vita elicerre. *Innoc.* XI. 17.

14. Sufficit Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse. *Innoc.* XI. 65. *V. infra* 23.

15. Non nisi fides unius Dei, necessitate mediæ necessaria videtur, non autem explicita Remuneratoris. *Innoc.* XI. 22.

16. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive modo, sufficit ad justificationem. *Innoc.* XI. 13.

17. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. *Baj.* 68.

18. Si quis a potestate publica interrogatus fidem ingenuè confiteatur, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminofum non damno. *Innoc.* XI. 18.

19. Ab infidelitate excusabitur infidelis non cre-

ꝝ O ꝝ

credens ductus opinione minus probabili. *Innoc.* XI. 4.

20. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet: ne non sit locutus Deus. *Innoc.* XI. 21.

21. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellantium. *Innoc.* XI. 19. *Vide: Religio Catholica.*

22. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. *Innoc.* XI. 20.

23. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium, *Alex.* VII. Anno 1665.  
24. Sept. N. 1. *Vide Charitas vel potius lex.* 5. 6. 7. 10.

24. Laicus non tenetur ad aliquem Fidei articulum explicite credendum; sed sufficit si-  
bi

bi ista conclusio: quod credat omnia illa, quæ credit Sancta Mater Ecclesia.

\* Hanc propositionem, tamquam hæresim, damnatam esse a Greg. XI. refert. Benedict. XIV. Inst. 42. N. 7.

### Fœderis Judaici a Christiano discrimin.

1. Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigat fugam peccati, & impletionem legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia justificando. *Ques. 6.*

2. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quæ vero felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis? *Ques. 7,*

3. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi quantum participes sumus ipsius novæ, gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus præcipit. *Ques. 8.*

O

4. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status Innocentiae, ac gratiā Christianam est, quod primā unusquisque in in propria persona receperisset, ista vero non recipitur, nisi in Persona Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. *Ques. 36.*

5. Gratia Adami sanctificando ipsum, in se metipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in Iesu Christo est omnipotens, & digna Filio Dei. *Ques. 37. V. Timor.*

### Fæmina.

\* Fæminæ (cujuscunque sint illae status, & conditionis) quæ in publico, ac præcipue in Ecclesia non verentur comparere nudatæ circa humeros, collum, brachia, & pectus, a Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ per Pastores arceantur, sub pœna excommunicacionis Papæ reservata ipso facto incurrenda. *Roma jussu Innoç. XI. Anno 1688. 30. Novemb. publicatum per Cardinal. Vicar. de Carpegna. Ita refert Pastor Bonus. fol. mibi 394. Vide: Animæ s. Scriptura Sacra. 5.*

ꝝ

Fœtus. Vide: *Abortus*, 2.

Flagellantes.

I. Docebant (ut mittam cæteros illorum errores) neminem posse aeternam beatitatem consequi, nisi qui cruentis flagellis se ipsum baptizaret sanguine suo. *Damnavit eos Clemens. VI.*

Fornicatio.

Tam clarum videtur Fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum esse videatur. *Innoc. XL. 48. Vide: osculum.*

Forum internum, & externum Religiosorum.

I. Superioribus obediri debet in exteriori, & latitudo voti obedientiae Religiosorum pertinet solum modo ad exterius. Aliud est in interiori, quo solus Deus, & Director intrant. *Mol. 65.*

2. Dicere: opus esse, ut internum manifestetur tribunali externo superiorum, & esse peccatum.

peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta,  
quia Ecclesia non judicat de occultis, atque a-  
nimabus suis damnum adferunt fraudibus hi-  
sce, & fictionibus. *Mol.* 67. *Vide: lex,* sub \*

3. In mundo non est facultas, nec jurisdi-  
ctio ad mandandum, ut manifestentur litterae  
Dilectori circa internum animæ, & idcirco  
monitos esse oportet: Esse hunc assultum quem-  
dam Sathanæ. *Mol.* 68. *Vide: Anima,* 2.  
*Censuræ.* 3. *Fides.* 18. *Jansenismus de obsequiofo si-*  
*lentio* 12. 9, *Parochia.* 1. 2.

Freu Maurer. *Vide: Muratorii.*

Foundationes piæ.

*Vide: Dominus.* 2. 3. *Possessiones per*  
*totum.*

Furtum.

1. Permissum est furari non solum in ex-  
trema necessitate, verum etiam in gravi. *In-*  
*noc.* XI. 36.

2. Famuli, & famulae domesticae possunt  
occu-

ꝝ ○ ꝝ

occulte Heris suis surripere, ad compensan-  
dam operam suam, quam maiorem judicant  
salario, quod recipiunt. *Innoc. XI.* 37. *Vide*  
*occiso.* 2. *Restitutio.* 3. 4.

## Graduationes Academicæ.

*Vide Universitates.*

## Gratia.

\* De gratia in communi. *Vide: Augustinum,*  
*et vocem Feleris.* Nam errores hujus loci in  
quatuor dispescuntur classes, & sunt sequentes.

### I. Errores circa Gratiam sufficientem.<sup>1</sup>

1. Pagani, Judæi, Hæretici, aliquæ hujus  
generis, nullum omnino a Jesu Christo influ-  
xum accipiunt, adeoque hinc recte inferes in  
illis esse voluntatem nudam, & inermem si-  
ne omni gratia sufficienti. *Alex. VIII.* 5.

2. Gratia sufficiens statui nostro non tam  
utilis, quam perniciosa est, sicut proinde merito  
possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Do-*  
*mine.* *Alex. VIII.* 6. *Vide: Ecclesia.* 9. *Fides.*

1. 2. *Jansenismus.* 1. 2.

II.

— O —

## II. Errores circa gratiam efficacem.

3. Quando Deus vult salvare animam, & eam tangit interiore suæ gratiæ manu, nulla humana voluntas ei resistit. *Ques.* 9. 10.  
11.

4. Quando Deus vult salvam facere animam, quoquinque tempore, quoquinque loco, effectus indubitatus sequitur voluntatis Dei. *Ques.* 12, 13.

5. Quantumcunque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videntem exhibet, lumine salutari suæ gratiæ, operet, ut se dedat, accurrat, se se humiliet, & adoret salvatorem suum. *Ques.* 14. 15. 16.  
17. 18. 19. 20.

6. Gratia Jesu Christi est fortis: potens, superna, invincibilis, utpote: quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio Dei Incarnantis, & resuscitantis Filium suum. *Ques.* 21. 22. 23. Producentis mundum de nihilo, suscitantis mortuos. &c. 24.  
25. 4.

— O —

### III. Errores necessitatem gratiæ nimium extendentium.

7. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum, absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest: *Ques. 2. vide: Jansenismus.*

8. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis. *Ques. 3.*

9. Ita Domine: omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. *Ques. 4. 5.*

10. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil haber luminis, nisi ad errandum, ardoris, nisi ad præcipitandum, vitium, nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Ques. 39. 40. 42.*  
*Vide: Anima*

II. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethniciis non potest venire nisi a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & opposi-

tionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. Ques. 41.  
vide: Peccator. 1. 2. 6. opus bonum. 5. 6.  
Natur. 1. 2. Anima. 1. Tentatio. 1.

#### IV. Errores negantium gratiarum aliquarum supernaturalitatem.

Vide: Creatio hominis. Ubi gratia Adami explicatur. 1. 2.. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
Natura. 1. 2. 3. 4. 5. Supernaturale. 1. 2.  
Pelagius. 3. 4. 5. Semipelagiani.

#### Grassatio.

\* Benedictus VIII. definivit; pro grassatoribus habendos esse etiam eos, qui unum tantum homicidium, aut mutilationem, vel in via vicinali perpetraverint. Apud Mansi in Epitome. Voce: Immunitas.

#### Hebræi.

\* 1. Hebræos in memoriam passionis Dominicæ, a S. Matre Ecclesia tolerari, ut aliquando manivetudine nostra allehti ad verum Chri-

Christi lumen divino afflante spiritu conver-  
tantur. *Definivit Julius III. Const. 14. Tom.*  
*1. Bullarii. pag. 804. &c. 2.*

2. Gregorius tamen XIII. cum pluribus su-  
is decessoribus, librum Thalmud nuncupatum,  
& alia similia, detestanda Hebraeorum scri-  
pta, damnavit. *Ut refert Sandinus in Vita*  
*Julii, III.*

3. Paulus IV. Vetus Judæos morbis Chri-  
stianorum curationem adhibere: Constit. 3.  
§. 10. Tom. I<sup>mo</sup> Bullarii, quam confirma-  
runt Pius V. Greg. XIII. Clemens VIII.

### Hæresis.

Prælati Regulares, potuit in foro conscientiae  
absolvere quosvis fæculares ab Hæresi occulta,  
& ab excommunicatione propter eam incur-  
sa. *Alex. VII. 4. vide: Bulla 1. Regulares.*  
*mendicantes.*

### Hæreticus.

Hæreticos comburi est contra voluntatem  
S. Spiritus. *Lut. 33. vide: Gratia: Denun-*  
*tatio.*

Henriciani.

1. Ab Henrico quodam in Aquitania suscitati; Baptismum parvolorum aversabantur, ( Anno 1116, ) & morem gerere Magistris tibus præsertim Ecclesiasticis detrectabant. Confutati sunt a S. Bernardo.

2. Henriciani alii fuere, qui a Concilio Quintilianeburgensi damnati sunt; Quod asseruerint: Summam esse Imperatoris auctoritatem, in electionibus Episcoporum, ac Pontificum Romanorum. Illumque solummodo esse Pontificem legitimum, quem Imperator, seu Rex Germanie nominasset.

*Homicidium. Vide: Duellum. Occisio.*

Homo.

Hominis boni opera sunt bona, mali autem mala. *Vide: Peccator. 1. 2. 3. Opus Bonum. 1.*

Horæ Canonicæ. V. *Breviarinm, Chorus.*

Huſſ. *Vide: Concilium.*

*Item*

— — —

*Item Combustionem ejus: Voce: Iuramentum. 6.*

*Hypocrisis. Vide: Forum per totum.*

*Jansenismus.*

\* Duplex est Theologia Jansenistica: Moralis, & speculativa, Illa consistit in rigorismo, & tendit in eversionem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiae. Opstrædt, quantum faverit huic intentioni, satis prodidit, cum aliis pluribus operis suis, quod *Pastorem Bonum*. Inscriptis locis, tum etiam pag. mihi 304. ubi hæc leguntur: „Amor prædominans, est is, qui major est cæteris omnibus ejusdem cordis amoribus, estque appretiative summus. Hunc amorem requiri dico in pœnitente ad conversionem. - - Idest ad valorem Sacramenti pœnitentiæ“ ( ut habetur pagin. 307, sub initium ) Agnoscitque subinde Auctor, nac lege difficilius reddi Sacramentum Pœnitentiæ: Eo quod, & Confessarium obligari judicet ad hunc amorem in pœnitente procuran-

G 3

curandum, & nihilominus, multos esse puter  
in omni statu, qui sine eo vivant, paucosque  
admodum, qui eundem satis capiant.

Altera Theologiae Jansenisticæ pars injurio-  
sa est gratiæ Christi, & libertati humanæ, con-  
sistitque in quinque sequentibus propositio-  
nibus,

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis vo-  
lentibus, & conantibus secundum præsentes,  
quas habent vires, sunt impossibilia, deest  
quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Vide.*  
*Lxx 9. Hæc propositio declaratur: Temeraria,*  
*impia, blasphemæ, & hæretica.*

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ  
nunquam resistitur. *Hæc babetur pro hæretica.*

3. Ad merendum, & demerendum in sta-  
tu naturæ lapsæ non requiritur in homine li-  
bertas a necessitate, sed sufficit libertas a coa-  
ctione. *Hæc damnatur ut hæretica.*

4. Semipelagiani admittebant prævenientis  
gratiæ interioris necessitatem ad singulos a-  
ctus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant  
hæretici, quod vellent eam gratiam esse ta-  
lem, cui possit humana voluntas resistere,

vel

vel obtemperare. *Hæc quoque est: hæretica.*

5. Semipelagianum est dicere: Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse. *Hæc falsa, temeraria Thesis est, & intellecta, eo sensu: Ut Christus Dominus pro salute tantum predestinatorum mortuus sit: impia quoque blasphemæ, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur.*  
*V. Christus 4.*

\* Librum autem Jansenii, in quo hæ propositiones continentur, primus Pontificum damnavit Urbanus VIII. Cui idem dedicatus fuera. Sed quia haec damnatio, nullam propositionem in particulari nominaverat, in globoque solum ( ut ajunt ) eas feriebat, Janseniani cavillabantur: nullam earum seorsim pro hæretica, haberi posse. Quare octuaginta quinque Galliarum Episcopi, totam Jansenii doctrinam in has 5. propositiones redeggerunt, easque Inocentio X. damnandas obtulerunt, qui etiam singulis earum specialiter haeresis notam inussit, praeterea que aliis notavit censuris Anno 1653.

Tum vero Jansenistæ fraude nova, eas ju-

re quidem damnatas esse assertebant, sed negabant ipsas in libro Jansenii reperiri, cui in iuriam inferri commento isto querulabantur: coactus itaque fuit Alex. VII. novo Decreto 1656. dato definire: Easdem omnino ex libro Jansenii, cui titulus: Augustinus, excerptas esse, & easdem in sensu, ab eodem intento damnari. Proptereaque etiam librum ipsum prescribi, ac vetari.

Praescripsit subinde Pontifex idem formulam, quam ab utriusque ordinis hominibus Ecclesiasticis, ac Regularibus recipi, & subscribi voluit, estque hujusmodi: „Ego NN. Constitutioni Apostolicae Innoc. X. & Alex. VII. me subiicio, & 5. propositiones, ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen: Augustinus excerptas, & sensu ab eodem Authore intento, prout illas per praedictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejecio, damno, ac ita juro, sic me Deus.“ &c.

Constitutionem hanc Jansenistae ut eludarent, distinctionem quaestionis: Juris, & facti excogitarunt: Duo scilicet in formula distinguenda esse: Jus, seu doctrinam in 5.

pro-

propagationibus damnatam, quam & ipsi damnarent, deinde: *Factum*, seu hujus doctrinæ attributionem libro Jansenii, cui se assentiri posse negabant, qui censerent, Ecclesiæ errare posse in quaestionibus facti etiam dogmatici, nec talia ejus judicia, digna esse, nisi obsequioso silentio.

Accidit interea, ut Innoc. XII. easdem propositiones iterum configens, his uteretur *verbis*: *In sensu obvio, quem ipsamet verba exhibent, ac præferunt.* Quae Jansenistæ avide arripuerunt, inque suum traxerunt patrocinium, quasi Innocentius, Alexandri damnationem, & formulam limitasset: qui damnasset quidem dictas propositiones, sed alio quopiam a Jansenii sensu diverso. Inferebant proinde: Absque ullo perjurii periculo posse subscribi prædictæ formulæ: quin interius in animo damnetur Jansenii doctrina, quod formulam Alexandri non de Jansenii doctrina interpretatus sit Innocentius.

Accessit demum. 1705. Famosa illa casus conscientiæ decisio, quam 40. Doctores Sorbonici subscripterunt: *Non esse nimirum negandam*

ab-

— O —

*absolutionem Viro Ecclesiastico, qui prædicto modo subscriberet formulæ. Dum putet sufficere, ut hanc obsequioso silentio veneretur.*

Quibus tandem erroribus Clemens XI. Editæ Anno 1705. Constitutione: *Vineam Domini Sabaoth.* ita obviavit, ut renovatis Decessorum Decretis, declararet: 1. in 5, propositionibus præfatis damnatum esse sensum libri Jansenii. 2. Formulæ, & Constitutionibus Apostolicis obsequioso silentio minime satisfieri, sed propositiones easdem non ore solum, sed & corde damnari debere. &c.

Cui Bullæ, cum se opposuisset Quesnellus, itum est ad extreum: In Appellationes videlicet: ad Concilium Generale, more hereticorum.

### *Jansenistica Bibliotheca.*

\* I. Bibliothecæ hujus collector est P. Colonia e S. J. qui cum istud haberet propositi, ut in unum continuum opus colligerentur elucubrations Authorum, non solum, qui Jansenismum data opera propugnarunt, verum etiam  
corum

— O —

eorum , qui apud Curiam Romanam de Jansenismo aliquando accusati, damnationem effugerunt. Cum inquitam hoc intentum haberet collector: Opera Scriptorum quorundam scholæ Thomisticæ , & Augustinianæ additorum, suæ intulit Bibliothecæ, Jansenisticis, Quesnelisticis , Bajanisticis ea suis locis adjungens.

Atque hinc Anno 1749. die 20. Sept. jussu Bened. XIV. Sacra Indicis Congregatio, Bibliothecam hanc in omni lingua, & Idiomate confixit: tanquam plura continentem respective falsa, temeraria, scholis Chatolicis, & Scriptoribus etiam Ecclesiastica dignitate eminentibus injuriosa, & Apostolicæ Sedis Decretis adversantia &c. non multo post, Fatum idem, subivit: *Dictionarium Jansenisticum*. Patris Puel, pariter Jesuitæ ( ut Bertius narrat ) opus; Anno videlicet. 1754. die II. Martii proscriptum, sub eodem Pontifice. Scriptores porro illi cæteros inter sunt: Cardinales Norisius, Bona , Genetusque Episcopus. Hæc de Bibliotheca Janseniana, quibus addo.

\* 2. Nihilo mitioribus pœnis, atque censuris obnoxios fieri eos, qui scholam Thomisticæ,

&

o

& Augustinianæ adversantem : Pelagianismi , aut  
semi Pelagianismi insimulant , atque traducunt ,  
præterquam quod enim : Decretum Innoc.  
XI, die 2. Mart. 1679. hac de re editum u-  
niverse, ac penitus æqualiter omnibus Doctoribus  
atque Verbi Divini præconibus, cujuscunque  
illi fuerint sectæ , in virtute S. obedientiæ præ-  
ceperit: ut caverent sibi ab omni censura,, &  
nota contra eas propositiones , quae adhuc in-  
ter Catholicos hinc inde controvertuntur ,  
donec a S. Sede re cognita , super iisdem pro-  
positionibus judicium proferatur.

\* 3. Clemens insuper XII. in sua Constitutio-  
ne; quam die 2. Octobris Anno 1733. cum  
orbe Christiano communicavit. Posteaquam  
Sanctorum Augustini , & Thomæ doctrinam  
de ;Divinae Gratiæ efficacia meritis laudibus  
celebrasset , & adversus iniquos imputatores fa-  
lutaribus poenarum minis satis munivisset , mox  
suo, juxta ac Praedecessorum nomine in fa-  
vorem Theologorum, a Thomistis dissidentia-  
rum, ita Pronunciavit: Mentem tamen eorum  
dem Praedecessorum perspectam habentes , no-  
lumus,

lumus, ut per nostras, aut ipsorum laudes Thomisticæ Scholae delatas - - - quidquam esse detractum cæteris Catholicis Scholis, diversa ab eadem sentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergent, quas hactenus palam, & libere ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce docuerunt, & propugnarunt, quamobrem, &c. Renovat hic Pontifex: Pauli V. & aliorum praedecefforum Decreta, easdemque censuras sancit in malevolos scientiae mediæ hostes, quas Ipse, Majoresque ejus intorserant in exorbitantes Thomistarum, aut Augustinianorum adversarios. Utri autem horum fuerint adhuc plures, ac mordaciores, docent opera eorundem, qua scriptis, qua typis edita. *V. Attritio.*

### Jejunium.

I. Frangens Jejunium Ecclesiae ad quod tene-  
mur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu,  
vel inobedientia hoc faciat, puta: quia non  
vult se subjicere praecepto. *Alex. VIII. 23.*

O

2. In die Jejunii, qui saepius modicum quid  
comederit, non frangit Jejunium. *Alex. VII.*  
*29.*

3. Excusantur absolute a praecepto Jejunii  
omnes illi, qui iter agunt equitando, utcun-  
que iter agant, etiam si iter necessarium non  
sit, & etiam si iter unius diei conficiant. *Alex.*  
*VII, 31.*

4. Omnes Officiales, qui in Republica corpo-  
raliter laborant, sunt excusati ab obligatione  
Jejunii, nec debent se certificare, an labor sit  
compatibilis cum Jejunio. *Alex. VII. 30. V.*  
*Confuetudo.*

5. Bened. XIV. Constituione : *Non ambi-  
gimus.* Declaravit: quod dispensatio in Qua-  
dragesima vescendi carnibus, non continuo de-  
obliget ab unica comedione, quare sic dispen-  
sati, declarantur ad eam teneri, nec misce-  
ri posse epulas illicitas inter licitas. Quae lex,  
de non miscendis carnibus cum piscibus ex-  
tenditur etiam ad Dominicas quadragesimae,  
uti & ad Jejunia extra quadragesimam. *Re-  
liqua huc facientia vide in Epitome P. Man-*

*si*

*si Voce: Jejunium. Item vocem: Consuetudo supra.*

6. His adde Constitutionem Clem. XIII.  
datam Anno 1753. qua declaratur potus la-  
etie Caffe, adversari Jejunio, dum extra tem-  
pus refectionis sum tur,

\* Sumptum itaque tempore refectionis, quo  
nempe alias Caffe per modum continui bibi-  
tur, non adversatur Jejunio. Quae tamen  
Constitutio in Hngaria non est promulgata;  
hinc disceptatur: num isthic obliget? adhae-  
rendum autem videretur parti affirmativa.  
Neque enim continet legem novam, sed est  
legis antiquae, immo potius, rei ipsius, prout  
ea se habet, declaratio: quatenus nempe potus  
ille extra tempus refectionis natura sua ad-  
versatur rationi Jejunii, si non ut lacticini-  
um ( cum hujus usus apud nos licitus sit )  
certe prout est quid satiativum. *Naturalia*  
*vero firma sunt, & solida, neque tolli, aut mu-  
tari possunt. Ut habetur &c. sed naturalia.*  
Instit. de jure nat. gent. & Civ. & Ca. 103.  
dist. cum semel. adeoque sola declaratione satis  
promulgantur.

\* Sua-

— O —

\* Suarius tamen L. 4. de leg. c. 14. N. 3. docet: Decreta Pontificia, etiam mere declaratoria, opus habere promulgatione authentica, perinde ac ipsas leges primigenias ad hoc ut in actu secundo obligent. Idem sentunt. Bonacina, & Castropalao.

7, Sed Bened. XIV. Institutione Ecclesiastica X. de Declarationibus Congregationis. Conc. Trid. loquens ait. „ Quod cum lex aliqua palam innotuit, necesse non est, ut eodem pacto relique sanctiones publice divulgentur, quibus eadem lex magis declaretur. Sufficit itaque ad earum obligationem notitia quaevis certa, unde unde sit illa aquisita. Vide: *Be-guardi. 2. Deus 5.*

### Ignorantia.

1. Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem *Damnatur hoc. a Synod. Diopol. prop. 7. contra Pelagium afferentem:* Omnem ignorantiam, quae non esset affectata, seu directe volita, vacare cul.

— O —

culpa, esto esset alias : vincibilis : *Quod sane  
falsum atque impium est.*

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato. *Alex. VIII. 2. Vide: Infidelis.*

3. Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturalis in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit. *Alex. VIII. Vi prioris. Vide Ligor. Lib. 3. N. 169, fin.*

4. Non peccarunt qui Christum ignorantes Crucifixerunt. *Innoc. II. in una Abailadri.*

Imago Dei Patris. Vide: *Deus. 2. Oratione. 3.*

### Impedimenta Matrimonii.

Si quis dixerit: Ecclesiam non potuisse constitutere impedimenta Matrimonii dirimentia, anathema sit. *Concil. Trid. sess. 24. v. Adulterium. can. 4.*

### Immortalitas.

1. Naturali lege constitutum fuit homini,

ut si in Obedientia perseveraret, ad eam vitam perveniret, in qua mori non posset. *Baj.* 6.

2. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. *Baj.* 78. *Vide: Creatio.* 4. *Pelagius.* *Animæ* 10.

### Indifferentismus.

\* Exstat contra hanc, Breve Clem. XIII. Anno 1766. die 25. Nov. & Mariæ Ther. Intimatum, 1767. die 3. Maji emanatum. Vide: *Muratorij.*

Infidelis. *Vide: Fides.* 7. 8. 9. 10. 11.  
17. 18.

### Indulgenciæ.

I, Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgenciæ, non sunt merita Christi, & Sanctorum. *Lutb.* 17.

2. Indulgenciæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non expedit. *Lutb.* 18.

3. Indulgenciæ his, qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ debitæ apud Divinam Justitiam *Lutb.* 19.

4. Indulgenciæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solum, & impatientibus. *Lutb.* 21.

5. Seducuntur credentes: Indulgencias esse salutares. & ad fructum Spiritus utiles. *Lutb.* 20.

6. Indulgenciæ nihil aliud sunt etiam nunc, nisi relaxationes pœnarum Canonicarum, ut supra N. 3.

7. Per passiones Sanctorum in Indulgenciis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem Charitatis, nobis eorum passiones impariuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi, a pœnis, pro peccatis debitisi, liberemur. *Baj.* 60.

8. Indulgenciæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ. *Alex.* VII. 37.

9. Sex generibus hominum Indulgencias non sunt necessariæ, nec utiles, videlicet: mortuis,

 O   
tuis, vel morituris, infirmis legitime impe-  
ditis, his, qui non commiserunt crimina, his  
qui commiserunt crimina, sed non publica,  
his, qui meliora operantur. *Luth.* 22.

10. Non oportet quærere Indulgentias, pro  
pœna peccatis; debita propriis; quia melius  
est satisfacere Iustitiae Divinæ, quam quære-  
re Misericordiam; nam illud procedit ex pu-  
ro Dei amore, & hoc ex amore interessato,  
idest personalis commodi nostri: Et non est  
res grata Deo, nec meritoria, quia est velle  
subterfugere crucem. *Mol.* 16.

### Intentio.

1. Si per impossibile confessus non esset,  
contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco  
absolveret, si tamen credat se absolutum,  
verissime est absolutus. *Luth.* 12.

2. Valet Baptismus collatus a ministro, qui  
omnem ritum externum, formamque ba-  
ptizandi observat, intus vero in corde suo apud  
se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ec-  
clesia, *Alex.* VIII. 28. *Vide Opus bonum* 2.  
*Spes.* I. 2.

3. Si quis dixerit: in ministris, dum Sacra-  
menta conficiunt, & conferunt, non requiri  
intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia,  
anathema sit, *Cone. Trid. sess. 7. Can. 11. Huc*  
*pertinet*, quod habetur in eodem. *Conc. sess.*  
*14. de pœnitentia. Can. 9.*

4. Intentio, qua quis detestatur malum, &  
prosequitur bonum, mere ut Cælestem obti-  
neat gloriam, non est recta, nec Deo placens. Alex.  
VIII. IO.

Vide: Attritio: N. 5. ubi illa insuper; *Motu*  
*nec bonus, nec supernaturalis esse pronunciatur.* At  
que talis ( quemamodum ex ibidem relatis  
apparet ) a Doctoribus nonnullis etiam Ca-  
tholicis defenditur, saltem pro casu, quo ali-  
quis benevolentiae erga Deum Amor eidem  
haud miscetur. Quod sane stupendum est:  
si res vel cum Geneseos capite 2. Conferatur. Ibi  
enim V. 16. & 17. leguntur seqq. *Præcepita*  
*que ei, dicens: Ex ligno Paradisi comedes, de ligno*  
*autem scientiæ boni, & mali ne comedas: In qua-*  
*sunque enim die comederis ex eo, morte morieris*  
En Aëtum Obedientiæ sub solo metu  
mortis

— o —

mortis, tum corporis tum Animi, seu peccati  
( ut Patres interpretantur ) prius Parenti-  
bus præceptum.

Unde consequens est : Actum ex odio pec-  
cati, & metu Gehennæ, ac pœnarum, esse bonum  
ac supernaturale, aut certe in Paradiso fu-  
isse imperatum : Actum non modo supernatu-  
rale, sed nec bonum quidem.

### Interim.

\* Est formula Fidei a Carolo V, proposita,  
cui Catholici juxta, ac Protestantes, interea dum  
Tridentinum resumeretur, insisterent. Di-  
splicuit illa Paulo II. apud Sandinum in Vita  
eiusdem. Neque enim minus nocuit Ecclesiæ,  
quam Typus Constantis, aut Henoticon Zeno-  
nis, vel Ecthesis Heraclii nocuerint; singulæ e-  
nim hæ formulæ, tempore ad propagandum  
dato, Novatores fecerunt fortiores.

### Investitura.

A Concilio Later. damnati sunt Anno 1516.  
qui Sacras Investituras acciperent a laicis. Vide:  
*Simonia per totum.*

■ O ■  
Judex.

1. Quando litigantes habent pro se opinio-  
nes æque probabiles, potest Judex accipere  
pecuniam pro ferenda sententia in favorem  
unius præ alio. *Alex. VII.* 26.

2. Probabiliter existimo : Judicem posse  
judicare juxta opinionem minus probabilem.  
*Innoc. XI.* 2.

Judæi. Vide: *Gratia.* §. N. I.

Juramentum.

1. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad cor-  
roborandos humanos contractus, & commer-  
cia Civilia. *Wicl.* 43.

2. Nihil Spiritui Divino , & doctrinæ Jesu  
Christi magis opponitur, quam communia fa-  
cere juramenta in Ecclesia, quia hoc est mul-  
tiplicare occasiones pejerandi, laqueos tende-  
re infirmis , & idiotis, & efficere, ut nomen,  
& veritas Dei aliquando deserviant consilio  
impiorum. *Ques. 101.*

3. Vocare Deum in testem mendacii, le-  
gis, non est tanta irreverentia, propter quam  
yelit,

velit, aut possit **damnare** hominem, *Innoe.*  
*XI. 24.*

4. Cum Causa licitum est jurare sine ani-  
mo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, *In-*  
*noc. XI. 25.* Vide: *Stipendum. 3. Restitutio.*  
*I. 2. 3.*

5. Qui jurat cum intentione se non obligandi,  
non obligatur, ex vi Juramenti. Hanc Thesim  
damnavit Clerus Gallicanus. Anno 1700.

6. Fides hæreticis non est servanda. Propo-  
sitio hæc damnata est <sup>1<sup>mum</sup></sup> in Conc. Cæsar-  
augustano, Anno 380. tum in Burdig. 383.  
ut demum in Toletano: 400. Cum reliquis  
videlicet Prisciliani erroribus, qui etiam doce-  
bat: licitum esse mentiri, & pejerare, adeo-  
que fidem juratam quoque frangere.

7. \* Ut proinde temerarii sint ipsique men-  
daces qui asserunt: a Concilio Constan. 1414.  
anno: eandem approbatam esse. Neque enim  
assignant ullam sessionem, nullum citant Ca-  
nonem, quo id definitum fuisset. Sed factum  
præcisè illud Concili sibi prætexunt, quo, non  
obstante salvo conducta Sigismundi, Hussius  
fuerat combustus jussu Concilii. Quasi vero

Fide

Fide, ab una jurisdictione data, obstringeretur altera a priori independens! Sed & Regula Juris est: *In malis promissis non esse fidem servandam.* De cætero autem Concilium Carthaginense I. relatū in cap. *Antigonus* 1. diserte præcipit: Paetæ etiam pure nuda esse servanda. Ipsī autem, qui talia Concilio Constantiensi objiciunt, legant lib. 3. Reg. cap. 3. ac signanter Davidis de Semei Testamen-  
tum, & obmutescant.

### Justificatio.

1. Justificatio impii fit formaliter per Obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem. *Baj.* 69. 42.

2. Sed & illa distinctio duplicis Justitiae: Alterius, quæ sit per spiritum Charitatis, inhabitantem; Alterius, quæ sit quidem inspiratione Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed non dum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis

— O —

legis Justificatio impleatur, similiter rejicitur.  
*Baj. 63.*

3. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis: Alterius, qua vivificetur peccator; dum ei novæ vitæ propositum, & pœnitentiæ per Dei gratiam inspiratur, Alterius, qua vivificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia dijudicatur, & scripturis minime congruens. *Baj. 64.*

4. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt: obediens Parentibus. Depositum reddere. &c. Justificantur quidem homines, quia sunt legis Obedientia, & vera legis Justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum. *Baj. 44. V. Baptismus. 56. Fides. 6. 16. Opus bonum 5. Ecclesia. 10. 11. 12. Sacramentum. 3.*

### Laicus.

*V. Sacerdos, Pœnitentiae Sacram. Scriptura S.*

Latomi. *Vide: Muratori.*

Legatum Annum,

Annum Legatum pro anima relictum,  
non

non durat plus, quam decem annos. *Alex.*  
*VII. 43.*

\* Existimabant quippe aliqui cum Soto : Animas ( ut ajunt ) purgantes, ultra annos decem non torqueri. Verum hæc imaginatio ab omnibus rejecta est, veluti pugnans, cuin universalis Ecclesiæ disciplina : Indulgentias largientis: 100, multoque etiam plurimum annorum, & licet illae ad tempus pœnarum Canonistarum referantur, supponunt tamen, Pœnas Purgatoriæ alias aliis esse diuturniores, multasque esse decennio longiores.

Leges civiles. *V. Lex. 3. sub \**

Lex, Mandatum, Præceptum.

1. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi : *Quam primum, est consilium, non præceptum.* *Alex. VII. 38.*

2. Illa particula : *Quamprimum, intelligitur: cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* *Alex. VII. 39.*

3. *Praeceptum servandi Festa, non obligat*  
*sub*

sub mortali seposito scandalo, si absit contem  
ptus. *Innoc. XI.* 52.

\* Leges etiam civiles, & a fortiori Eccle-  
siasticas habere vim obligandi in foro conser-  
tentiae, & quidem graviter in materia gravi,  
secluso etiam omni contemptu; lege Divina  
est declaratum illis quoque scripturae Verbis  
*Obedite per omnia Dominis Carvalibus - in*  
*simplicitate cordis, timentes Deum. &c. Colos.*  
*3. 22. id est: usque ( ut dicitur ) ad Aras. V.*  
*Vocem: Propositiones N. II. 12.*

4. Illa Doctorum distinctio: Divinae Legis  
mandata bifariam impleri: Altero modo quan-  
tum ad praceptorum operum substantiam  
tantum; Altero, quantum ad certum quem-  
dam modum, videlicet: secundum quem va-  
leant operantem perducere ad regnum aeter-  
num ( hoc est ad modum meritorum ) com-  
mentitia est, & explodenda. *Baj. 61. Vide:*  
*meritum. 7.*

5. An peccet mortaliter, qui actum, dile-  
ctionis Dei semel tantum in vita eliceret con-  
demnare non audemus *Innoc. XI.* 5.

6. Probabile est, ne singulis quidem ri-  
gorose quinquenniis, per : obligare praece-

prum Charitatis erga Deum, *Innoc.* XI. 6.  
Vide: hic *Fides*. 23.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur  
justificari, & non habemus aliam viam, qua  
justificari possimus. *Innoc.* XI. 7.

8. Definitiva hæc sententia: Deum nihil im-  
possibile præcepisse homini, falso tribuitur Au-  
gustino, cum Pelagij sit. *Baj.* 24. Vide:  
*Acceptatio legis* 1. *Amor.* 14. *Breviarium.*  
1. 2. 3. *Confessio.* 5, 6. 7. *Dispensatio.* 1. *Fides*  
12. 13. 14. 15. 23. *Justificatio.* 1. 2. *Merces.*  
3. 4. *Proximi Amor.* *Opus Bonum.* 2.

9. Præceptum amoris Dei, per se tantum  
obligat in articulo mortis.

\* Hujus Thesis damnationem. Alex. VII<sup>mo</sup>  
adscribit. P. Charmes, Theologiae Parte 5. pag.  
107. quamvis satis intelligatur proscripta, vel  
in præmemoratis Innocentianis: 5. & 7.

**Libertinismus** Vide: *Indifferentismus*.

**Liberum arbitrium.**

I. Omnia de necessitate **absoluta** eveniunt.  
*Wicl.* 27.

O

2. Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. *Luth. 36.*

3. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in causa sua: peccato originali, & voluntate Adami. *Alex. VIII.*

I.

\* Propositio ista, & a Concilio Trid. in Lutthero, ac Calvinio, damnata est, & ab Apostolica Sede in Bajo, eo; Quod ex ipsa sequetur: prava desideria quæ homo invitus patitur, & involutarios concupiscentiæ motus, esse totidem peccata.

4. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet. *Baj. 27.*

5. Pelagianus error est dicere: quod liberum, arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. *Baj. 28.*

6. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. *Baj. 38.*

7. Ille Libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis,

pturis, sed solum libertatis a peccato. *Baj.*

41.

8. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii, bonus, vel malus, & gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. *Baj. 65.*

9. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, *Baj. 66.*

10. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. *Baj. 37. Vide: Jansenius. 3.*

### Libri prohibiti.

1. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, dum adhibita diligentia corrigantur. *Alex. VII. 45. Vide: scriptura Sacra. Per totum.*

2. Concilium Trid. sess. 4. in Decreto de editione librorum ita statuit. „ Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis Libros de rebus Sacris, sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint, ab Ordinario, sub poena anathæ-

ꝝ ○ ꝝ

nathematis, & pecuniæ in Canone Concilii no-  
vissimi Lateranensis apposita. - - Qui autem  
scripto eos communicant, vel vulgant, nisi  
ante examinati probatique fuerint, eisdem pœ-  
nis subjaceant, quibus impressores, & qui  
eos habuerint, & legerint; nisi prodiderint  
Auctores, pro Auctoribus habeantur. “

\* Ad pleniorum porro materiæ hujus scitu  
adeo necessariae notitiam, perlege pensicula-  
rius: 1. Regulas Indicis, jussu synodi Trid-  
editas, suis cum observationibus. 2. Instru-  
ctionem Clem. 8<sup>vi</sup> authoritate, Regulis modo  
nominatis adjectam. 3. Constitutionem Bened.  
XIV. *Sollicita, ac provida.* 4. Decreta de Li-  
bris prohibitis, nec adhuc in Indicem Roma-  
num relatis,

Ne vero, pro reperiendis his quatuor pun-  
ctis, per varios Auctores *lcum. temporis di-*  
*spendio Lector divagari incipiat:* Remitto eun-  
dem ad Indicem Librorum prohibitorum,  
Bened. XIV. jussu recognitum, atque Romae Anno  
1761. in Typogr. Reverendæ Camerae Aposto-  
licæ editum. Ubi haec omnia instar prolegome-  
norum collecta habentur. Unum dumtaxat hic

sub-

subjiciam exemplum, sed quod satis ( n̄ fal-  
lor ) ostendat, eorum de quibus sermo insti-  
tutor notitiam, non fore Lectori, præsertim  
Theologo, & librorum Censori, inutilem.  
Estque hujusmodi.

3. De ritibus finicis, eorumque controver-  
siis, aut illorum occasione exortis; libri: Re-  
lationes, Theses, folia, & scripta, quæcun-  
que post diem 2<sup>dam</sup> Octobris 1710. edita, in  
quibus ex professo, vel incidenter, quomo-  
docunque de iis tractetur, sine expressa, &  
speciali licentia Romani Pontificis in Congre-  
gatione sanctæ, & universalis Inquisitionis ob-  
tentia, prohibita sunt. Ita Decreta de libr.  
prohib. §, IV. N. 6.

Advertendum autem: pro initio prohibiti-  
onis ideo constitui diem 2<sup>dam</sup> Octobr. 1710.  
quia tunc primum emanavit Bulla Clem. XI.  
vetans, in lucem edi prædicta; sub pœna  
excommunicationis latæ sententiæ, & pro Re-  
gularibus etiam privationis vocis activæ, &  
passivæ, ipso facto incurrenda.

Illud tamen graves has prohibitiones utcun-  
qua

— O —

que emollit: quod consideratis earum tenori-  
bus, sola editio, scripto, Typove facta, non  
vero etiam lectio rerum similium videatur ef-  
se vetita.

\* Cæterum adversus hæc ipsa Decreta in  
Thesibus etiam publicis, nec semel tantum,  
nec ita pridem a Professoribus peccatum tu-  
isse notavi: Ignorantia (quod credi malim)  
potius. quam, malitia. *Vide: Ritus finici, &*  
*Malabarici.*

### Luxuria.

I. Mollities, Luxuria, & bestialitas sunt  
peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque suf-  
ficit dicere, in confessione: se procurasse  
pollutionem. *Alex. VII. 24.*

2. Est probabilis opinio; quæ dicit: esse  
tantum veniale, osculum habitum ob delecta-  
tionem carnalem, quæ ex osculo oritur, se-  
cluso periculo consensus ulterioris, & pollu-  
tionis. *Alex. VII. 40.* *Vide: Copula, Forni-  
catio. Osculum.*

Me-

Medicus.

\* Ex damnata Thesi 2<sup>da</sup> sub Voce: *Opinio*, & Thesi 1<sup>ma</sup> sub Voce: *Sacramentum* sequitur: Medicum graviter obligari, in curando ægroto, ad tres Medicinarum Classes se se refleßtere, ut nempe: semper adhibeas tutiores etiam præ probabilioribus, has vero præferat mere probabilibus, neque licitum sit ipsi a 1<sup>ma</sup> ad 2<sup>dam</sup>, aut a 2<sup>da</sup> ad 3<sup>tiam</sup> transire nisi urgeat necessitas curandi, & desit copia feligendi.

2, Neve putet: solum corporis curam sibi esse concreditam, noverit: Jam a Concilio Later. IV. Legem latam esse Medicis: Ut priusquam curationem corporis incipient, infirmos moneant: de advocando Sacerdote. Renovavit illam Pius V. Sed uberior explicuit.

\* „ Benedictus λ IV. Instit. Eccl. 22. §. 16. & 20. Medicis in memoriam revocans sequentia: Medici sub gravi tenentur monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum; Ut vocent Confessarium. Ita jubente Concio-

O

lio Lat. IV. S. Pius V. autem præcipit ut Medicus ante omnia moneat super eodem eundem: Neque tertio die ulterius ipsum visitet, nî pareat. Sufficit tamen monitionem hanc per alium Virum gravem peragi. Neque tenetur, ad eandem adhibendam, nisi in morbo periculoſo, quamquam consultius sit, non expectare periculum. - Si tamen ægratus renuat confessionem, & morbus sit adeo periculosis, ut deserto a Medico timendum sit ne moriatur, docent tunc Theologi; non esse deferendum a Medico ægrum, ne amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque resipisciendi. Haec tenus Pontifex laudatus.<sup>44</sup>

Matrimonium. *V.* Adulterium.

Mendacium, *V.* Juramentum. 3. Rerstri-

*Ego. I. 2. 3.*

Mendicantes.

1. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus, eo facto, *Wicl. 20.*

2. Fratres tenentur, per laborem manuum vi-

*Etum*

Etum acquirere, & non per mendicationem.  
*Wicleff.* 24.

3. Omnes de ordine mendicantium sunt  
hæretici, & dantes illis eleemosynam sunt ex-  
communicati. *Wicl.* 34.

4. Ecclesiastici, & Principes Sæculares non ma-  
le facerent, si omnes saccos mendicantis dele-  
rent. *Luth.* 41.

5. Mendicantes possunt absolvere a ca-  
sibus, Episcopis reservatis, non obtenta ad id  
Episcoporum facultate. *Alex.* VII. 12. *Anno*  
*1664.* 14. *Sept.* V. *Regulares.*

6. Idem est intelligendum de Regularibus  
omnibus, in genere. Juxta damnatam ab  
eodem Pontifice propositionem N. 3<sup>io</sup> *Anno*  
*1659.* die 90. *Januarii.*

7. Regulares Mendicantes petere possunt li-  
cite a Judicibus sæcularibus: ut injungant E-  
piscopis, quatenus mandata ipsis concedant,  
ad prædicandum in Adventu, & Quadrage-  
sima. Quod si renuant facere Episcopi; De-  
cretum Judicum Sæcularium tantundem va-  
let, ac si præmissis dictis Religiosis concessa  
fuissent. *Ut supra* N. 6.

8. Parochus potest suspicari de mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda, nimis levi, & incongrua pœnitentia, vel satisfactione, ob quæstum seu laerum subsidii temporalis. *Alex. VIII. 21.*

9. Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadē peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti, *Joann. XXII. in Extrav. Cum inter nonnatos. De Verb. si. contra Joannens de Poliaco, Doctorem Paris. Vide: Approbatio per totum. Regulares per se-  
tum.*

### Merces, Meritum,

1. In redemptis per gratiam Christi, nullum potest inveniri bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum *Baj. 8.*

2. Pelagii sententia est: Opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est Regni cœlestis meritorium. *Baj. 12.*

3. Opera bona a Filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda  
Fili-

Filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quod per ea præstetur Obedientia legi. *Baj. 13.*

4. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obediatur legi Divinae. *Baj. 15.*

5. Sentiunt cum Pelagio, qui dicitur esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. *Baj. 17.*

6. Opera Justorum, non accipiunt in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam a justo Dei iudicio mereantur. *Baj. 14.*

Illa quoque distinctio, qua opus dicitur fieri in bonum: Vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonam (quod moraliter bonum appellare conservaverunt) vel quia est meritorium, Regni eterni, et quod sit a vivo Christi membro per Spiritum Charitatis, rejicienda est. *Baj. 62. Vide Lex. 4. creatio. 1. Natura. 1. 2.*

Missa,

— O —  
Missa.

1. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit. *Wicl.* 5.

2. Sacrificium Missæ, non alia ratione, est Sacrificium quam generali illa, qua omne opus bonum, quod sit: ut Sancta Societas, Deo homo inhæreat. *Baj.* 45.

3. Satisfit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo, quatuor simul a diversis celebrantibus audit. *Innoç.* XI. *Vide: Stipendium, per totum.*

4. In elevatione Corporis Christi, non debent assurgere, neque &c. *Vide: Elevatio.*

5. Necessarium non esse Jure Divino, sed Ecclesiastico tantum; Ut Species utraque patiter Consecretur. *Docuere quidem Gabriel Biel & Joannes Major* ( quod refert ) Sandinus in vita Alexandri VI. N. 5. Sed errarunt; cum Gelasius I. ( Ut ibidem notatur ) oppositum definiverit, ac proinde falsum sit; Alexandrum VI. voluisse dare dispensationem sine Vino in ejusdem defœtu consecrandi. Multo autem magis falsum esse: Id ab Innocen. VIII. Norvegis indultum extitisse; Ostendit Lauda-

tus Sandinus in Vita ejusdem. Vide: *Paroebia*, 3. *Eucharistia*. \*

Moderamen incul. tut. Vide: *Occisio*.

Mohatra, & Montes pietatis. Vide:

*Usura*: 5. 6. 7.

Mollities. Vide: *Luxuria*.

Molinos

\* Michael Molinos Hispanus Presbyter Dioecesis Cæsar-Augustanæ, magnam vitæ partem Romæ exegit summa Sanctitatis apparentia, indeque sub prætextu elevandi animas ad Spiritualis, & mysticæ vitæ perfectionem. Quietistarum sectæ, si non Author summus certe propagator existit. Turpissimæ hujus Mystices elementa sunt. Ad nihilum redigi debere potentias animæ, nec esse necesse: ut illa se in aliquo opere active habeat, sed petitius ut se se totam Divinæ voluntati regendam committat, omnem deponendo solicitudinem, spemque ac timorem, imma, & desideria virtutum abjiciendo, sicque omni affectione

Etione animam exspoliatam in sua quiete orare etiam, dum abripitur somno, Deoque conjunctam esse oportere: futurum hinc, ut qui semel Deo arbitrium suum ita subjecerit, nullam contrahat maculam: quid quid in parte ejus inferiore occurrat, parte superiori Anima intaminata, ac quieta permanente. Unde etiam: Quietistarum nomen derivatum.

Pestilentem hanc doctrinam, in Theses 68. redactam proscriptis. *Innoc. XI. Anno 1787. 28. Aug.* & iterum 19. Nov. cuius Bullæ dum in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam Jegerentur, plebs effusissimis vocibus conclamabat: *Damnetur Molinos ad ignem! ad ignem!* Sed Inquisitio Romana, mitius cum eo agendum putavit: quamvis enim reperta in scriniis illius duodecim millia epistolarum satis indicarent, quam late sparserit errores, ipseque etiam per annos jam 12. a Sacramentali Confessione abstinuisse deprehensus fuisset, quia tamen senio jam confessus fuerat, ac pœnitentiam publicam, eamque (ut existimabatur) seriam egerat, satis habuit; eundem

car-

carceri perpetuo addicere, in quo etiam die  
28. Nov. 1692. Christiane obijt. Vide: *Ani-  
ma. Annibilatio. Beguardi. Beata Virgo. 3. De-  
votio. Forum internum. Mortificationes. Ora-  
tio. Quietismus. Via interna.* &c. Quibus  
titulis superius commemoratae 68. Theses ut-  
cunque insertæ habentur.

\* Summam nihilominus earundem hinc  
quoque repræsentare volui, ea potissimum de  
causa: ut ex hujus tituli, cum eo, qui *Amor  
purissimus* inscribitur, collatione appareret, di-  
scrimen inter Systema Molinosii, & Ferielo-  
nii Archi-Episcopi. quem Bertius, in Bre-  
viario historico ad saeculum 17. more suo,  
idest: præcipitanter, & inverecunde celebrem  
facit Molinofistam: castigatoris animi scriptori-  
bus id, dubie solum, & cum quadam tanti  
Viri veneratione insinuantibus.

### Monarchicum Ecclesiæ Regimen.

Monarchiæ forma non fuit immediate in  
Ecclesia a Christo instituta. Hanc Antonii  
de Dominis propositionem, cum duobus aliis  
damnavit Facult. Paris. Ut Schismaticam, Hæ-  
reti-

~~o~~ O ~~o~~  
reticamque. Quod Vide: apud Cl. Pat. Char.  
mes. Tom. I. pag. 305.

Mors, Vide: *Immortalitas*,  
**Mors Molinosistica.** Vide: *Molinos*. *Quies*.  
Mortis alienæ desiderium.

1. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de morte illius gaudere, illam ineffaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicantia personæ; sed ob aliquod temporale emolumentum. *Innoc. XI.* 13.

2. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum: ei obventura est pinguis hæreditas. *Innoc. XI.* 14.

3. Licitum est: Filio gaudere de parricidio Parentis, a se in ebrietate, perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consecutas. *Innoc XI.* 15.

### Mortificationes.

1. Crux voluntaria mortificationum gravis est,

est, & sine fructu adeoque omissenda. *Mol.*  
*38. Vide: Beata Virgo. 3.*

2. Opera sanctissima, & 'austeritates, quas  
Sancti subiverunt, non sufficiunt, ad animam  
vel uno assalto harrandam ( alii legunt ) ad  
removendam ab anima vel unicam adhæsi-  
onem. *Mol. 39.*

3. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum,  
non valent expiare de condigno pœnam tem-  
poralem, post culpam condonatam. *Baj. 77.*

4. Quando per eleemosynam aliaque pœni-  
tentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis tem-  
poralibus, non dignum Deo pretium pro pec-  
catis nostris offerimus, sicut quidam errantes  
autumant ( alioqui essemus saltē aliqua ex  
parte Redemptores ) sed aliquid facimus, cu-  
jus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur.  
*Baj. 59.*

Muratorii. Vulgo: Freu Maureri.

\* De his P. Laurentius Berti ad saeculum 18  
historici sui Breviarii sic habet.

Serpere ajunt occultam quandam hominum  
societatem, quam Gallice vocant: *Des Frances*  
*Ma-*

*Macons*, italice: *Liberi Muratorii.* Secretos  
conventus agunt, aliis prolsus ignotos, emis-  
so jure-jurando: Nemini congressus sui insti-  
tuta, & consuetudines revelandi. Et licet te-  
stentur: a se nunquam vel de Religione, vel  
Principibus tractari.

Nihilominus Secreta hujusmodi conventicu-  
la, & juramenta merito improbantr; ex his;  
namque Principes suspicari possent: Molitiones  
in Rempub, & Ecclesiæ Præfules, aliaque  
mala non pauca. Provide idcirco, Benedictus  
XIV. & Clemens XII. PP. MM. nec non utris-  
que Siciliæ Rex Carolus; incomptam hanc  
sectam severioribns legibus proscripterunt. Ex  
illo nimirum: Scripturæ etiam Sacræ loco.  
*Qui male agit odit lucem, & non venit ad lu-  
cem, ut non arguantur opera ejus. Joan. 3.*

Hactenus Berti. Esto ergo sint tenebriones,  
volunt tamen vocari Philosophi, & quidem  
illuminati. Ita quidem: sed ex genere illo-  
rum, quos jam S. damnavit Augustinus scri-  
bens: „ Dantur, qui se dicunt esse illumina-  
tos, sunt autem hæretici: “ *Tract. in Joan-*  
*nem.*

— O —  
Mutuum Vide: *Usura.*

Naturæ Vires.

1. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum, ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. *Baj. 2.*

2. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit, intuitu bonorum operum, & bona opera, ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt. *Baj. 14.*

3. In promissione Angelo, & primo homini facta, continetur naturalis justitiae constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. *Baj. 5.*

4. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est: quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. *Baj. 37.*

5. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli, Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* *Baj. 22.*

6. Distinctio illa , duplicitis amoris : Naturalis videlicet , quo Deus amat , ut Author naturæ , & gratuiti , quo amat , ut beatificator , nova , & commentitia est . *Baj.* 34.

7. Amor naturalis , qui ex viribus naturæ oritur , ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria crucis defenditur a nonnullis Doctoribus . *Baj.* 36.

8. Qui amat Deum , prout illum ratio argumentando repræsentat , aut intellectus comprehendit , non amat verum Deum . *Mol.*

19. *Vide* : *Creatio* . *per totum* . *Opus bonum* 5 .  
*Pelagius* . 3 . 4 . 5 .

Necessaria Necessitate medii . *Vide* : *Fides* . 14 . *sed peculiariter* . *N.* 14 . *ibidem* . *Item* : *Mysterium* .

### Negotiatio,

1. Clericis Sæcularibus licitum est negotiatio per laicos cohæredes , vel socios . *Bened.* XIV .  
*Bulla* : *Apostolica servitutis* . 1741 . *Kalen.*  
*Martii*,

2. Licitum est iisdem, ut minus continuare negotia ab aliis inchoata, deinde vero ad ipsos ratione materiæ jure aliquo devoluta. *Idem.*  
*Ibidem.*

3. In Synodo tamē Diœcesana L. 7. docet Laudatus Pontifex: negotiationem impro priam, Clericis non esse interdictam, ut vi etum honesto artificio querere, vendere res, ex proprio prædio collectas, sicut & eas, quæ coemuntur ad familiæ sustentationem, cum superfluæ evaserint, idque etiam cariori, quam emerint pretio, modo tamen non ultra justam estimationem. *Vide: Beneficium 4.*

### Obedientia.

1. Obedientia Ecclesiastica, secundum ad inventionem Sacerdotum Ecclesiarum, est obedientia præter expressam auctoritatem Scripturarum.  
*Huss. I.*

2. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria.

K

ria finis, tunc purum est: quod appareat exterius, alioqui non est nisi hypocrisis, & falsa justitia. *Ques.* 47. *Vide: Amor* 14. *Forum internum* 1. *Justificatio.* 4. *meritum.* 3.

Oblivio. *Vide: Ignorantia.* 1.

Occasio.

1. Proxima Occasio peccandi, non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. *Innoc.* XI. 62.

2. Licitum est querere directe, occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. *Innoc.* XI. 63. *Vide: Absolutio.* 3.

Occisio defensiva.

1. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. Idemque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactum alapam, vel iustum fustis, fugiat. *Innoc.* XI. 30.

2. Regulariter occidere possum forem , pro  
conservatione unius aurei. *Innoc. XI. 31.*

3. Non solum licitum est defendere occisiva  
defensione, quæ actu possidemus, sed etiam  
ad quæ jus inchoatum habemus & quæ nos  
possessuros speramus. *Innoc. XI. 32.*

4. Licitum est, tam hæredi, quam legata-  
rio, contra injante impedientem, ne vel hæ-  
reditas adeatur, vel legata solvantur , se tali-  
ter defendere, sicut, & jus habenti in cathedram  
vel præbendam, contra possessionem injuste  
impedientem. *Innoc. XI. 33.*

5. Est Licitum Religioso, vel Clerico Ca-  
lumniatorem, gravia crima de se , vel sua  
Religione spargere, minitante occidere, quan-  
do alius modus defendendi non suppetit , ut  
suppetere non videtur , si calumniator ad iste  
sit paratus, nisi occidatur, *Alex. VII. 17.*

6. Licet occidere falsum accusatorem . fal-  
sos testes , ac etiam Judicem , a quo iniqua  
certo imminet sententia, si alia via non potest  
innocens damnum evitare. *Alex. VII. 18.*

*Vide: Duellum. Alulterium. 1.*

Occul-

Occultum Crimen. Vide. *Restriccio mentalis.* 3.

Officium Divinum Vide: *Breviarium.*

Onnipotentia donata Vide: *Deus.* 3. 4.

Opera satisfactoria. Vide: *Mortificationes.*

### Opinio probabilis.

1. Si Liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tamquam improbabilem. *Alex. VII.* 27.

2. Generatim dum probabilitate, five intrinseca, five extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, prudenter agimus *Innoc. XI.* 3.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. *Alex. VIII.* 3. Vide: *Fides.* 19. *Judex.* 1. 2. *Lex.* 6. *Sacramentum.* 1. *Jansenistica Bibliotheca.* *Osculum.* 2.

*Opstræds.*

## Opstrædt.

Joannes Opstrædt, est Auctor Libri, cui  
Tit. Pastor bonus, de quo *Vide*: *Absolutio*.  
4. *Amor*. 4. *Attritio*. 6. *Communio*. 7. *Ecclesia*.  
15. *Sigillum*. 2. 3. *Jansenismus princ.*

## Opus Bonum.

1. Divisio immediata humanorum operum  
est, quod sunt vel virtuosæ, vel vitiæ: quia  
si homo vitiosus est, & agit quidquam, tunc  
agit vitiæ, & si est virtuosus, & agit quid-  
quam, tunc agit virtuosæ. Quia sicut vitium,  
quod crimen dicitur, seu mortale peccatum  
inficit universaliter actus hominis vitiæ, sic  
virtus vivificat omnes actus hominis virtuosæ.  
*Huss*. 16. *Vide*: *Amor*. 1. 2. 3. 4. 5.

2. Bonitas objectiva, consistit in convenientia  
objecti, cum natura rationali, formalis vero in  
conformatione actus cum regula morum. Ad hoc  
sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum  
interpretative. *Hunc homo non tenetur amare*  
*neque in principio, neque in decursu vitae sue*

*mora-*

 O   
*mortalis. Alex. VIII. 1. Die 24. Aug. 1690.*

\* Hæc propositio est hæretica, de fide enim est: Dari præceptum Charitatis, non tantum in principio usus rationis, & sine vitæ, verum etiam alias eliciendæ sæpius, nec satisfieri illi, per solum interpretativum Dei amorem, sed oportet illum esse formalem, ac explicitum, **juxta** illud scripturæ: *Diligite Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo. Ec.*

3. In omni opere bono peccat justus. *Lut.*  
*31.*

4. Opus Bonum optime factum, est veniam peccatum. *Luth. 32.*

5. Non solum iures, & latrones sunt etiam ii, qui Christum: Viam, & ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicunque aliunde, quam per Christum in viam justitiae. **Hoc est:** ad aliquam justitiam concendi posse dicunt. *Baj. 29.* Vide: *Beata V. 3. Justificatio. 4. Meritum 2. 3. 6. 7. Tentatio 1. Fides. 8. Homo.*

Opus conjugii: *V. Copula.*

Oratio.

I.

- O —
1. Oratio præsciti nulli valet. *Wickeff.* 26.
  2. Oratio Impiorum est novum peccatum,  
& quod Deus illis concedit, est novum in  
eos judicium. *Ques.* 59.
  3. Qui in oratione utitur imaginibus, figu-  
ris, speciebus, & propriis conceptibus, non  
adorat Deum in Spiritu, & veritate, *Mol.*  
*18.*
  4. Dicere: in oratione utendum discursu,  
& cogitationibus tunc, dum Deus non lo-  
quitur animæ, est ignorancia. Deus non lo-  
quitur unquam. Illius loqui est operari, sem-  
perque in anima operatur, dum ista suis di-  
scursibus, cogitationibus, & operationibus eum  
non impedit. *Mol.* 29.
  5. In oratione manendum est in fide ob-  
scura, & universali, cum quiete, & oblivio-  
ne omnis alterius cogitationis particularis, &  
distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis at-  
que standum in præsentia Dei ad eum ado-  
randum, amandum, eique serviendum, ve-  
rum sine productione ullorum ætuum, Deus  
enim id genus rebus non delectatur. *Mol.*  
*21.*

— O —

6. Non est hæc cognitio Fidei, actus quispiam productus a creatura, sed cognitio quæpiam illi a Deo data, quam creatura non novit se habere, neque adeo postea scit se habuisse ( alii legunt sed postea cognoscit se illam habuisse ) Idemque dicendum de amore. Mol.

22.

7. Quæcunque cogitationes inter orandum accident etiam impuræ, quin & contra Deum & Sanctos, contra fidem, & Sacra menta, si non voluntarie foveantur, neque aliquo actu voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia, & resignatione, tolerentur, non impediunt orationem Fidei, immo eam reddunt perfectiorem, quia anima magis est resignata voluntati Divinæ. Mol. 24.

8. Tametsi superveniat somnus, & dormiantur, omnino tamen oratur, & contemplatio fit actualiter, quia oratio, est resignatio, & resignatio, & oratio totum idem est, & quamdiu continuatur resignatio, unque etiam oratio continuatur. Mol. 25.

9. Deo gratias agere lingua, & verbis, non est animarum internarum, quarum est in silentio

lentio se tenere, non præbendo Deo impedimentum, quo minus in iis operetur, & quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experiuntur impotentiam recitandi orationem Dominicam, seu Pater noster. *Mol.* 34. *Vide:* *Contemplatio* 1. *Communio*. 8. *Resignatio*. 2. 3. 4. *Suffragia*. 1. *Via interna* 8.

### Osculum.

2. Mulieris osculum ( cum ad hoc natura non inclinet ) est peccatum mortale. Aetas autem carnalis ( cum ad hoc natura inclinet ) peccatum non est: maxime dum tentatur exercens. *Cone.* *Vien.* *sub Clem.* V. *adversus Beguinias.* *Vide:* *Luxuria* 2.

### Oxomensis Magister.

Alias Petrus de Osma, Author habetur propositionum novem, quas dianavite jam Congregatio Complutensis, particularis quidem illa, cuius tamen damnationem ratae habuit Sixtus IV. Anno 1483. Quæ quoniam sub  
Cha-

— O —

Characteristicis titulis facilius deprehendentur,  
Quam sub nomine Auctoris; idcirco eas hic indica-  
bo; vocibus, quibus eadem subjiciuntur  
**I<sup>m</sup>am itaque Vide sub Voce: Coniitio, & Con-  
fessio N.**, I<sup>m</sup>o 2<sup>d</sup>am. **Ibidem N.** 8. 3<sup>t</sup>am **Ibid.**  
**N.** 9. 4<sup>t</sup>am **Ibidem.** N. 10. 5<sup>t</sup>am **Ibidem.** N.  
11. 6<sup>t</sup>am **Voce: Purgatorium N.** 5. 7<sup>t</sup>am **Voce:  
Ecclesia N.** 16. 8<sup>v</sup>am **Voce: Papa.** N. 14. 9<sup>v</sup>am **Vo-  
ce: Pœnitentia N.** 5. Damnatae sunt illæ: ut  
scandalosæ, & hæreticæ. Auctor tamen ipse,  
non est damnatus, cum easdem Catholice ab-  
juraverit. Quod legere est in Appendix ad  
Theolo. Moral. P. Antoine pag. 387.

Pagani. V. Gratia. §. I. N. I.

Papa.

1. Si Papa sit præscitus, & malus, per con-  
sequens membrum Diaboli, non habet potestatem  
super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte  
a Cesare. *Wicleff.* 8. 20. 22.

2. Post Urbanum VI. non est aliquis reci-  
piendus in Papam, sed vivendum est more

Græ-

Græcorum sub legibus propriis. *Wicleff.* 9.

3. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, & institutio a Cæsare emanavit. *Huss.* 9.

4. Non oportet credere, quod iste quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cuiusque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit. *Huss.* 11.

5. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi qui sequitur eum in omnibus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & instituentis auctoritas, *Huss.* 12.

6. Papa -- si querit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Iscariotis. *Huss.* 13.

6. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per legitimam electionem -- tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam, nam Judas Iscariotes rite & legitimate est electus a Deo Christo Jēsu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde ad avile ovium. *Huss.* 24.

## O

8. Papa non debet dici Sanctus secundum officium, quia alias etiam Rex deberet dici Sanctus secundum officium, & tortores, & praecones dicerentur Sancti, immo etiam diabolus deberet dici Sanctus, cum sit officiarius Dei. *Hus.* 23.

9. Non est scintilla apparentia, quod oporteat esse unum caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conservetur, & conversetur. *Hus.* 27.

10. Christus sine talibus monstrosis capitibus per suos veraces discipulos, sparsos per orbem terrarum, melius Ecclesiam suam regulareret. *Hus.* 28.

11. Apostoli, & fideles Domini Sacerdotes strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum, sic facerent deficiente ( per summe possibile ) Papa, usque ad diem Judicii. *Hus.* 29.

12. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi.

di Ecclesiæ ab ipso Christo in *Beato Petro* institutus. *Luth.* 25. V, *Concilium*, ad \*

13. Certum est: in manu Papæ, aut Ecclesiæ protus non esse, statuere articulos Fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum. *Luth.* 27.

14. Papa non potest dispensare in statutis Universalis Ecclesiæ. Sixtus IV. 1479, hac occasione Vide quæ annotata habentur Voca: *Ecclesia Catholica.* N. 13. 16. Vide: *Concilium* 1. 5. *Episcopus.* 1. 2. *Paulus* 1. 2. *Possessiones.* 1. 3. *Propositiones Cleri Gallicani.* *Penitentiae Sacram,* 3. *Purgatorium.* 5. *Monarchicum Ecclesiæ Regimen.* 1. *simonia* 5. *Appellatio.* 1.

### Parochia, Parochus.

Clemens VIII. Anno 1592. ( ut refert )  
Bened. XIV. Syn. Dice. L. 7. c. 44, §. 4.  
definivit: per Confessionem factam cuilibet  
Sacerdoti Sæculari, vel Regulari ab Episcopo  
approbato satisfieri *Canoni: Omnes utriusque*  
*focetus.*

\* *Quam-*

\* Quamvis autem non sit necessitas eandem  
deinde repetendi, Benedictus XI. tamen propter  
erubescientiam quæ magna pars est pœnitentiæ,  
id salutare esse respondit. *Extrav. Inter  
cunctas i. de Priv. inter Com. V, Confessio. 7.*

Sed Joannes de Poliaco Parisiens. Doctor,  
sub initium sæculi 14. oppositum docuit, ac  
propterea damnata fuit ejus doctrina a Joan-  
ne XXII. Ut videre est in *Extrav. cum inter  
nonnullos de verborum signifi. Duabus quæ se-  
quentur expressa Thesibus.*

1. Stante : *Omnis viriusque sexus*. edito, in  
generali Concilio. Romanus Pontifex, non  
potest facere, quod Parochiani, non teneantur  
omnia peccata sua semel in anno, prop-  
rio Sacerdoti confiteri. Immo nec Deus pos-  
set hoc facere, quia implicat contradictionem.

2. Papa non potest dare potestatem gene-  
ralem audiendi Confessiones, immo nec Deus  
quin Confessus, habenti licentiam teneatur ea-  
dem confiteri proprio Sacerdoti, quem ( ut  
præmittitur ) dicit esse curatum. *Vide : hic  
peculiariter vocem : Mendicantes. 9.*

3. Non licet Christianis Missam in aliis,  
quam

quam Parochialibus Ecclesiis audire, nec peccata aliis, quam Parocho confiteri. Clem. VIII. Anno 1592 die 22. Decembris contra quosdam Duacenses. Contraria definit. *Vide: Syn. Diœc. L. 7. c. 64. N. 7. & seqq.* Dummodo ista fiant citra contemptum Parechiæ

4. Nullus in foro conscientiae tenetur Parochiæ suæ interessi, nec ad annuam confessioinem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, Divinam legem, Fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus annunciantur &c, docentur.

*Alex. VII. 30. Jan. 1659.*

\* Quæ propositio, quoad 1<sup>iam</sup> & 22<sup>dam</sup> partem simpliciter accepta est erronea, & temeraria, suppositis vero Privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram, Et quoad 3<sup>tiām</sup> partem: de auditione Verbi Divini, servetur dispositio. Conc. Tridentini. *Hæc ex Append. Mor. Theo. Antonie: de damnatis propos.*

5. Talem legem in hac materia, neque Episcopi, neque Concilia Provinciarum, vel Nationum sancire, ac delinquentes aliquibus pœnis,

nis, aut Ecclesiasticis censuris multare possunt. *Idem qui supra.*

\* Suppositis iisdem videlicet: Privilegiis Apostolicis, nullam propositio haec meretur censuram. Attamen Sixtus IV. De *treuga, & pace*. graviter præcepit: ne haec, & prior Thesis publice prædicta, aut doceatur. Cum enim justissimum sit: populum audire Missam in Parochia, diebus prædictis Dominicis ac Festis, idque fraudere deceat etiam: plurimum utique dedecet, istud palam divuldere, unde nimicum: scandala, & proprii Parochi contemptus sequi possent, ac discordiae inter Ecclesiasticos, Regularesque exercentur.

Ex quibus quidem illud quoque consequitur: Nemini vicissim licere, Thesis superiorius numero 3. relatam tueri, ne dum publicare. Vide: *Mendicantes.* 8. 9. *Beneficium Curatum* 2. *Communitas* 8. *Sacerdos.* 4.

Paulus, & Petrus.

1. Paulus, & Petrus sunt duo Ecclesiæ principes,

pes, qui unum efficiunt. Et quamlibet aliam similem huic sententiam: ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem, inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione Pauli ad Petrum. &c. ut hæreticam damnavit Innoc. Ximus Anno 1647. die 29. Januarii.

2. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcunque solveris super terram. &c.* extenditur dumtaxas ad ligata ab ipso Petro. *Luth. 26.* Vide: de Petro: *Ecclesia. 13.* de Paulo: *Ibidem 6.* Violentiae. 9.

Pactum *Vide: Semipelagiani 5.*

### Peccator.

1. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est *Baj. 35.*

2. In omnibus suis actibus peccator servis dominanti cupiditati. *Baj 40.*

3. Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris, *Ques. 38.*

4. Modus plenus sapientia est: dare animabus tempus, portandi cum humilitate statum

L

pec-

peccati, petendi Spiritum pœnitentiae, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Iustitiae Dei, antequam reconcilietur. Ques. 87.

5. Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius terre confusionem. Ques. 88.

6. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolvantis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggesterens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum Reatus tollitur. Baj. 58. Vide: Amor. 4. 12. Fides. 10. Peccatum originale. 1. Homo.

7. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesie. Ques. 89.

### Peccatum Originale.

I. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est,

est, sed cause, & originis: utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. *Baj.* 46.

2. Unde peccatum originis, vere habet rationem peccati, sine ulla ratione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem traxit. *Baj.*

47. Et ex habituali voluntate determinante fit: ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando rationis usum consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet. *Baj.*

49.

3. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo, quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. *Baj.* 48.

4. Omne Scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros, eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. *Baj.* 52.

5. Quantum ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. *Baj.* 53.

6. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit ge-

O

Etuale peccatum, moratur animam defuncti  
ab ingressu Cœli. *Luth.* 3.

7. Homo debet agere pénitentiam tota vi-  
ta pro peccato originali. *Alex. VIII. 19. Vi-  
de: B. Virgo.* 2. liberum arbitrium 3. *Pelagius-*

### Peccatum Personale,

1. In peccato duo sunt : Aëtus . & reatus,  
ttanseunte aëtu, nihil manet nisi re-  
atus, seu obligatio ad pœnam. *Baj. 56. Vi-  
de: Baptismus.* 6.

2. Nullum est peccatum ex se veniale,  
sed omne meretur pœnam æternam, *Baj.*  
20.

3. Peccatum Philosophicum, sive morale, est  
aëtus humanus disconveniens naturæ rationa-  
li , & rectæ rationi. Theologicum vero,  
& mortale est transgressio libera Divinæ legis.  
Philosophicum quantumvis grave in illo, qui  
Deum, vel ignorat, vel de eo aëtu non co-  
gitat, est grave peccatum, sed non offensa  
Dei, neque peccatum mortale dissolvens ami-  
citiam Dei, neque æterna pœna dignum *Alex.*  
*VIII. die 24. Aug. 1690. N. 2.* 4.

4. Nemo est certus : se non semper peccare mortaliter , propter occultum superbiae vitium. *Luth.* 35. *Vide: Baptismus.* 4. 5. *Catechumenus.* 1. 2. *Confessio.* 2. 3. 4. *Opus bonum.* 1. 3. 4. *Fides.* 7. 8. 9. 10. *Peccatum original.* 4.

Pecunia numerata. *Vide: Usura* 3.

Pelagius,

\* Pelagius natione Britannus professione Massachus, simulata virtute pro Sancto habitus, circa gratiam varie erravit. Innocentius I. Anno 411. confirmavit sententiam Concilii Chartag. 2<sup>di</sup> proscriptientis, tres sequentes Pelagi errores.

1. Naturaliter potest implere legem, qui vult, & Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt,

3. Ad perficiendam Justitiam, & Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

\* Tum Anno 416. Pontifex Idem, ratam

habuit damnationem, qua Concilium Millevi-  
ennum II. alias 4. propositiones ejusdem Pe-  
lagii confixit, quas hic continuatis initialibus  
numeris recenseo.

4. Potest homo in hac vita præceptis Dei  
cognitis ad tantam perfectionem justitiae, sine  
gratia Salvatoris, per solum liberæ voluntatis  
arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessaria-  
rium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud: *Et ne nos inferas in temptationem.* Non  
ita intelligendum est, tanquam Divinum ad-  
jutorium poscere debeamus; quoniam hoc in  
nostra positum est potestate, & ad hoc imple-  
dum sola sufficit voluntas.

6. Non est orandus Deus, ut contra pec-  
cati malum, & ad operandum justitiam sit no-  
ster adjutor.

7. Non opitulatur parvulis, ad consequen-  
dam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacra-  
mentum.

\*. Pater Platelius e S. J. Pelagii errores pari-  
quidem numero, sed sub aliis exhibet formis.  
quos hic itidem adscribam, non quod diver-  
si essent, a superioribus sed ne quid præteri-  
visse

visse puter, quod necessarium esse videatur :  
Et communius re ipsa sic allegantur,

1. Primum primi hominis statum, fuisse conditionem naturæ, non beneficium gratiæ, in eo que Adamum ante peccatum fuisse obnoxium morbis, concupiscentiæ, & cæteris miseriis æque ac post peccatum.

2. Peccando sibi soli nocuisse non posteris, in quibus videlicet nullum sit peccatum originale.

3. Non dari aliam gratiam, quam creationis, liberi arbitrii, Doctrinæ Bibliorum, exhortationum, ac exemplorum Christi.

4. Per Dei adjutorium solum dari facilius bona posse agere, & mala vitare, nequaquam vero: simpliciter posse.

5. Gratiam dari ex meritis, non dari gratiam internam ordinis supernaturalis, sive habitualem, vel etiam actualem.

6. Electionem, ac reprobationem parvolorum fieri ex meritis eorum Liberi arbitrii conditionate prævisis.

7. Iuxta Hyeronimum ad Cresiphontem: Dei cooperationem etiam ordinis naturalis, Libero arbi-

orbitrio non esse necessariam. *Vide: Ignor-  
tia. II.*

\* Hæc sunt præcipua Pelagianæ superbiæ com-  
menta. Quæ acerrime propugnarunt duo pri-  
marii ejus discipuli: Cœlestius Hybernius, &  
Julianus Capuæ Episcopus. Prioris fervor, ac  
ingenium id emeruit: ut hæresis hæc Cœle-  
stiana etiam vocaretur aliquando.

8. Facienti quod est in se Naturæ viribus,  
Deus non denegat gratiam.

\* Hæc propositio damnata est a Clero Gal-  
licano, Anno 1700. tamquam restaurans Se-  
mipelagianismum mutatis tantum vocibus. Nec  
usit sunt hoc axiomate DD. Catholici nisi loco  
**Vocum: Naturæ Viribus.** substituendo: *Deo  
movente. Vide P. Charmes Trac. de Gratia. Diff.  
z. Cap. 2. Quest. 1. Concl. 2. R. ad Obj. 5.*

Perfectio Beguardor. *Vide Beguardi.*

Periculum peccandi. *Vide Occasio.*

Persecutio proborum. *Vide: Excommuni-  
catio, 7. 8. 9.*

Item Vocem: Prædicatorum.

Petrus

Petrus. *Vide: Paulus*, & *Petrus*.

Petrus de Osma *Vide: Oxomensis*.

Philosophi Ethnici. *Vide: Gratia. II. Fides. 8.*

### Poenitens.

I. Poenitens, propria auctoritate potest sibi substituere alium, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. *Alex. VIII. 15.*

\* An autem Confessarius dare possit nec ne eam facultatem? hic non definitur. Sed ex D. Thomae 3. par. q. 90. art. 2. deducitur negativa.

2. Nullus debet Sacerdoti respondere: se esse contritum. *Luth. 14. Vide: Absolutio 2. Confessarius. I. 2.*

### Poenitentiae Sacramentum.

I. Tres esse partes poenitentiae: contritionem, *Confessionem*, & Satisfactionem, non est fundamentum in scriptura Sacra, nec antiquis SS. Christianis Doctoribus. *Luth. 5.*

2. Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data; præstantius: *de cætero non facere, summa pœnitentia*: *Optima pœnitentia nova vita.* *Luth.* 7.  
3. In Sacramento pœnitentie, & remissione, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam insimus Sacerdos, immo, ubi non est Sacerdos-  
que tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer, esset. *Luth.* 13. *Vide: Intentio 1.*

4. Peccata non sunt remissa ulli, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti. Immo peccatum maneret, nisi remissum crederet: Non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam remissum esse credere. *Luth.* 10.

5. Sacramentum pœnitentiae, quantum ad collationem gratiæ Sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis, veteris, vel novi Testamenti. *Sixtus.* IV. contra *Magistrum Oxeonens.* Anno 1459. N. 9. *Vide: Confessio* 8, 9. 10. 11. *Satisfactio.* 3.

Pollutio. *Vide: Osculum.* 2.

Pontifex. *Vide: Papa.*

Pof-

O

## Possessiones.

1. Silvester Papa, & Constantinus Imperator, errarunt Ecclesiam dotando. *Wicleff.* 33.

2. Imperator, & Domini Sæculares sunt seducti a Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. *Wicleff.* 39.

3. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo, quod possessiones habeant, & consentientes eis omnes: Videlicet Domini Sæculares, & cæteri Lajci. *Wicleff.* 36.

4. Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnitentiam egerint, de hoc: quod quod habuerint possessiones, & instituerint, & intraverint Religiones, & sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici. *Wicleff.* 44. *Vide: Voces: Christus D. N. 10. Clericus 2. 3. Regulares. 1. 2. 3.*

5. Arnaldum Brixensem docentem: Nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse, cuncta hæc Principi esse, ab ejus beneficentia in usum tantum Laicorum

**rum cedere oportere. Damnavit Conc. Lat. Oe-**  
**cumen. X. Anno 1139. celebratum.**

**Præ-Adamitæ.**

\* Isaacum Peyre rium, simul Calvini sectam, simul librum de Præadamitis, seu primis hominibus ante Adamum conditis, quem paulo ante ediderat damnantem, & veniam suppliciter deposcentem, admisit ad communionem Ecclesiz. Alex. VII. ut refert Sandinus in ejus vita.

**Præceptum. Vide: Lex.**

**Prædestinati. Vide: Ecclesia. 3. 4. 5. Pa-**  
**pa. 4. Præsciti.**

**Prædicatio Verbi Divini.**

Illi, qui dimitunt prædicare, sive audire **Verbum** **Divinum**, propter excommunicacionem hominum, sunt excommunicati, & in Judicio: traditores Christi habebuntur. *Wicl. 13.*

2. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare Verbum Dei, absque auctoritate sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici. *Wicleff. 14.*

3. Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, sem-

semper assert fructum suum. *Ques. 18.*

4. Veritates eo devenerunt; ut sint lingua  
quasi peregrina plerisque Christianis, & mo-  
dus eas prædicandi, est velut idioma inco-  
gnitum. Adeo remotus est a simplicitate A-  
postolorum, & supra communem captum fi-  
delium, neque satis advertitur, quod hic de-  
fectus sit unum ex signis maxime sensibilibus  
Ecclesiæ senescentis, & iræ Dei in filios suos.  
*Ques. 95. Vide: Sacerdos. 2. 3. & Titulum.*  
*sequentem.*

Prædicatorum, & piorum Virorum, per-  
secutio,

I. Deus permittit, ut omnes potestates sint  
contrariae Prædicatoribus veritatis, ut ejus,  
victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ.  
*Ques. 96.*

2. Nimis saepe contingit: membra illa, quæ  
magis unita sunt Ecclesiæ, respici, atque tra-  
stari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia,  
vel tanquam ab ea separata, sed justus vivit  
ex fide, & non ex opinione hominum. *Ques. 97.*

3. Status persecutionis, & poenarum, quas  
qui tolerat, tanquam hæreticus, flagitosus,  
& impius, ultima plerumque probatio est, &

maxime meritoria, utpote, qui facit hominem  
magis conformem Christo. *Ques.* 98.

4. Pervicacia, præventio, obstinatio in no-  
lendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere  
se fuisse deceptum, mutant quotidie, quoad  
multos in odorem mortis id, quod Deus in  
Ecclesiæ sua posuit, ut in ea esset odor vitæ,  
**V. G.** bonos libros, instrunctiones, Sancta ex-  
empla, &c. *Ques.* 99.

5. Tempus deplorabile, quo creditur ho-  
norari Deus persequendo veritatem, ejusque  
discipulos. Tempus hoc advenit. - - - Fru-  
stra quis sibi blanditur, de suarum intenti-  
onum puritate, & zelo quodam Religionis  
persequendo viros bonos - si propria passione  
est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea,  
quod nihil vult examinare. Frequenter credi-  
mus sacrificare impium, & sacrificamus diabo-  
lo Dei servum, *Ques.* 100.

Prælati Regulares. *Vide: Hæresis.*

Præmium. *Vide: Merces.*

Præsciti. *Vide:* Ecclesiæ, 6.7.8. 3.4. Papa,

Privilegium. *Vide Regulares.* I.

I. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Trid. Alex. VII. 36.

\* Ejusmodi privilegium; Absolvendi nempe: quosvis indiscriminatim, ab hæresi occulta, & excommunicatione ob eam incursa, putabant nonnulli committere Prælatis Regularibus: usquedum facultas hæc sublata fuisset per Bullam Cænæ ipsis adeo Episcopis, prouti sublatam declararunt complures Pontifices: Gregorius XIII. Clemens. VIII. Benedictus XIV. Et quoad Prælatos Regularium Alex. VII. damnans Propositionem, Voce: Hæresis superius relataim.

2. Jam autem certum est: Eosdem, nec in suos quidem subditos pollere tali potestate, ut videre est apud Antoine in Appendix ad Theol. Moralem: de damnatis Propositionibus. pag. mibi 403.

\* Ne vero quis adhæreat in eo: Quod hic loci, vel Episcopis negetur facultas absolvendi: Ab occulta hæresi; sub voce contra: hæresis, etiam simplici Confessario concedatur eadem: Ab hæresi mere interna.

Advertendum habet: Omnem quidem hære-

sim mere internam, esse occultam, sed non vice-versa: Erit enim illa occulta, esto prodeat in aetum externum, modo tamen nemine Conscio. Hæc igitur reservata est summo Pontifici, secus ac mere interna.

\* Quid porro censendum sit: de hæresi externa quidem, attamen pure materiali? Apposite ad hanc rem Pater Antoine in sua morali. Par. I. p. 157. Ego nostratum Confessariorum praxim eam esse observavi: qua, nullo discrimine facto; Materialem inter ac formalem hæresim existimant ad suos convertitas absolvendos opus esse Jurisdictione Papali, cum Epitcōpis nominatim communicari solita, quoties convertitas nanciscuntur, qui palam pro acatholicis habentur.

\* Sed offert se non nunquam casus, ut in ipsis Catholicis notetur articulus quidem hæresos pure Materialis, neque tamen occultus? Atque hic est fere in Antoine laudato decisus, quem proinde Videsis.

Probabilismus. *Vide: Opinio probabilis.*  
Promulgatio legis. *Vide: Jejunium. 6. 7.*

Pro-

Propositiones Cleri Gallicani

I. Beato Petro , ejusque successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiæ, rerum Spiritualium, ad æternam salutem pertinientium, non autem civilium, temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et iterum: *Reddite ergo quæ sunt Cesaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ac proinde stare Apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subditæ sit, non enim est potestas nisi a Deo: Quæ autem sunt a Deo, Ordinata sunt.* Itaque, qui potestati resistit; Dei ordinationi resistit. Reges ergo, & Principes in temporalibus, nulli Ecclesiasticæ Potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ, directe vel-indirecte deponi; aut illorum subditos eximi a fide atque Obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse: Eamque sententiam publicæ tranquilitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam Imperio utilem, & Verbo Dei, Patrumque traditioni, & Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.

2. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac

M

Petri

O

Petri successoribus Christi Vicariis, rerum Spiritualium potestatem, ut simul valeant, atque immota Consistant, Sacrae oecumenicae synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu Confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione Custodita Decreta, de Auctoritate Conciliorum generalium, quæ Sess. 4<sup>ta</sup> & 5<sup>ta</sup> Continentur. Nec probari ab Ecclesia Gallicana illos, qui Decretorum eorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus dicta Concilii detorqueant.

3. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum, per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos; Valere etiam Regulas, moresque ac Instituta, a Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos. Atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis: Ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

4. In fidei quoque questionibus, præcipuas summi Pontificis esse partes ejusque Decreta

creta, ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Atque hæ quatuor sunt illæ, de potestate Ecclesiastica Declarationes, quæas Clerus Gallicanus in Conventu die 19. Martii. 1682. Parisis celebrato, Sanxit. Quarumque defensionem ex speciali jussu, Ludovici XIV. Jacobus Benignus Bossuet, Meldensis Episcopus (ut vulgo putatur) suscepit, ac Tomis duobus esse prosecutus,

S. Ad rem autem dictum est: Ut vulgo putatur, nam quo quis scriptorum pro Eruditione habetur, eo minus audet certi quid statuere, de Operis hujus Auctore. Gravelon certe, Bossueti Synchyronus, ac patriota, ut ut, omnia illius opera etiam M. S. diligenter recenseat, defensionis attamen hujus, nec tenuiter quidem meminit; esto eidem sat longo super vixerit tempore, ut ex hoc ipso etiam satis appareat: factum hunc sequioris esse originis. Lectoribus equidem subsequis, simul ac Opus legere cœperunt, si vel mediocriter Critics studiosi fuerint, inciderit: Quinam fieri potuerit: Ut inde a celebrato illo Cleti Conventu fere 50. effue-

rent anni, donicuñ typis vulgaretur hæc illius defensio? si enim Ludovicus ( Ut præsertur ) XIV. ejusdem elucubrationem Bossueto imperasset: Tum Rex profecto ille pondus auctoritatis; per hoc accersere dictis Cleri: Declarationibus: a celebritate Auctoris, tum Auctor ipse Operi suo existimationem, Conciliare: a Majestate Imperantis, intendisset: quod utrumque incitamento debebat esse, non differendi, verum potius quanto cyus accelerandi laboris. Sed enim larvatus Bossuetus, consulto præstolatus fuerit obitum utriusque, ne videlicet haberet Vivos, suæ Testes ac Vindices imposturæ. Interea autem:

*Incidit in Scillam, dum vult vitare Charybdis* per Dilationem enim diuturnam subrepserit eidem rerum multarum oblivio, ut nihil mirum sit; *Afferta quædam ipsius, non satis cohære-  
re, cum Chronotaxi Personarum, ac cum-  
primis Ludovici XIV. qui Edictum suum Pro-  
positionibus his favens, paulo post retractavit,  
& Bossueti, ante editionem operis prædicti  
annis fere 40. defuncti, rerumque intra an-  
nos circiter 50. gestarum. Quod quidem pro  
indubitate semper habitum est indicio libri*

 O   
Apocrypsi, seu incerti ( ut minus ) Auctoris.

6. Sed quis quis ille fuerit, mihi certe nemo jure vitio vertet: Quod ejusdem propositiones damnatis accenseam. Damnavit eas, mox ut prodiere, Innocentius XI. dato Brevi die II. Apr. a. 1682. damnavit post Octennum, anno nempe 1690. die 4. Aug. Alex. VIII. Constitutione: *Inter multiplices.* Novissime vero Pius VI. summus Pont. prout legere est vel in libris super hoc Proposito nuper editis, quin, & in Ephemeridibus exterorum quotidianis. Damnavit denique intermedio inter duos priores Papas tempore, anno nimirum: 1682. 23. Octob. totus Ecclesiae Hungaricæ Clerus, celebrato nationali conventu, suo sub Primate Szelepcsenio, censura iisdem; omni cum solennitate inflicta: *Ut quæ auribus, Christianis absurdæ, & detestabiles essent.* Videret hæc in Péterffio: & Nicolai Schimttb Archi-Episcopis Strigoniensibus, cæterisque, etiam extraneis Scriptoribus, ut proinde nec locus sit quæstioni:

7. Num Decreta modo laudati Conventus obligent in Hungaria? Quando vel Tyronibus Sacrorum Canonum, cognita est doctrina:

O

Incolas Regionum; Decretis Synodorum suarum statutisque Congregationum localium praefer-  
tim a Sacra Sede approbatis, in conscientia pro ratione materiae obligari. Quis antem est, qui ignoret: Statuta haec Szelepcseniana, a sum-  
mis Pontificibus; rebus ipsis. & factis, ac no-  
minatim ab Alexandro VIII. ratihabita fuisse,  
qui nempe: Praenotatas propositiones, post e-  
ditum, atque jam orbe universo vulgatum  
**Cleri illius Hungarici Edictum „Ipsa jure mul-**  
**las irritas, invalidas inanes, viribus, & effectu**  
**penitus, & omnino vacuas ab initio fuisse, &**  
**esse, perpetuoque fore declaravit, & determi-**  
**navit, deque earum nullitate coram Deo pro-**  
**testatus est.“**

8. Unde jam suapte natura sequitur: Aetate  
eadem Szelepcseniana: & praecedentij Innocen-  
tiano Brevi consentanea, & a subsequente:  
**Alexandrina Constitutione confirmata extitisse.**  
Quæ enim quæsa: Poterit, cogitari major con-  
firmatio; quam confessio seu potius identitas  
doctrinae? Vi cuius videlicet: & Pontifices,  
haec Cleri Hungarici statuta pro suis, & vicissim:  
**Clerus Hungaricus, Decreta ista Pontificia pro**  
**propriis habuerunt definitionibus.**

Quae

Quaerere autem: Num lex Synodi particularis, quae & Brevi Pontificio praecedenti conformis, & a subsequa Constitutione sic adoptata, pariat obligationem in conscientia, sicut reciproce: An præexistens lex Pontificia, a Synodo Regnicolari habeatur pro recepta, quae postea sanctione sua eandem recapitulaverit? Quaerere inquam haec? idem profecto foret, atque dubitare de eo: Utrum lex promulgata, & jam immemoriabili tempore usitata, vim obligandi nanciscatur in Provinciis?

9. De quo sane nemo dubitaverit: minime autem gentium in nostro hoc casu, & Regno, ut adeo admodum pergrinum, ac hospitem se esse prodejet in Politico - Ecclesiastica Regimini Hungarici notitia, qui hæsitaret vel in eo: Num Conventus ille Szelepcsénianus invito, aut inscio Leopoldo M. Imp. fuerit celebratus? siquidem necdum nobis excidit memoria: Nullam in omnibus Sacræ Coronæ ditionibus extitisse Universitatem, aut Academiam, quæ statuta nationalis illius, conventus non ambabus (ut aiunt) amplexa fuisset ulnis, indeque etiam, quod perspectum haberet: Majores quoque suos, ac nominatim Pazmanum, & subse-

quos

q̄os Episcopos atque Doctores multo jam ante  
eiusdem Doctrinæ fuisse assertores. Nec de ea  
vel dubitasse vetustiores Ecclesiæ Hungariæ Præ-  
sules. Vixque omnino potuisset fieri: ut una-  
nimis adeo tamque brevi tempore Cleri uni-  
versi consensus obtineretur, nisi prius animo  
sedisset spontaneo, quod subinde in legem a-  
bibat publicam, sed neque lex lata sine firma-  
mentis adhæsione eo pertigisset diuturnitatis;  
ut jam ei; nec præscribi posse deinceps vi-  
deatur.



IQ. Peræterquam quod enim Juribus Pon-  
tificiis, quæ tamen propositi us illis vel  
maxime impetuuntur, nulla parte derogari que-  
at, nisi tandem contraria 100. annorum con-  
fuetudine, prout nempe docet: & lex scripta;  
*Cap. Ad audientiam 13. cum aliis compluribus,*  
& ininterruptus, ac Communis Ecclesiæ Hun-  
garicæ usus, & denique Benedicti XIV. de-  
claratio Synodi Dioecesanae l. 13. c. 5. & 4.  
expressa: Insuper modernus etiam Pontifex Pius  
VI. fucuræ Gallicanarum ( de quibus agimus )  
Declarationum præscriptioni, nuperna ( ut jam  
audivimus ) intercessit constitutione, & quidem  
eiusmodi, qua Decessorum suorum hoc in ge-  
nere Decreta innovavit. II.

II. Innotuit quidem his diebus nobis : Intimato Regio promulgatum esse : Eam carere Placeto ( ut dici amat ) Regio : Nemo tamen est , vel mediocriter Jurium peritus , quem latet : Prohibitiones hujusmodi , seu Romanis obviantes Constitutionibus , esse mere politicas ac , quæ non solvant vinculum animorum , legibus Ecclesiasticis adstringorum . Quod pluribus proculdubio queat probari exemplis , sed modus adhibendus est , quando , vel unico res perinde confici valeat . Sic *Quamvis legibus ci-*  
*vilibus permisum sit : Contrahentibus se invicem*  
*decipere. Lege in causa 2. & in pretio de minor.*  
*&c. Nihilo - secius , Quis sanæ mentis inficia-*  
*bitur : Innocentii III. Declarationem. Cap. Per*  
*tuas 5. de donat. dictæ , legis derogatoriam , ob-*  
*ligare in conscientia , quatenus nempe : veta-*  
*mur proximum fallere. Nec alio sensu accipi-*  
*unt Orthodoxi nostri , quosdam Diætarum arti-*  
*culos ; Protestantibus faventes , ac nominatim :*  
*26<sup>um</sup> , & 55<sup>um</sup> anni 1791. qua nimirum par-*  
*te , Martimonia illorum civilibus gaudere vo-*  
*lunt effectibus , quin iisdem : Sacramentales ac*  
*Ecclesiasticos attribuant .*

12. Ad eum ergo fere modum : Huic quoque

que Intimato; ea competit reverentia ac subje-  
ctio in foro externo, quæ nihil detrahatur de ob-  
servantia Pianæ Constitutioni in foro interno de-  
bita. Quod idem est, ac si dicas: *Uni verſe obe-  
diendum eſſe Principibus, ubi manifestum pecca-  
tum non cernerentur.* Neque ipsi prætergrediren-  
tur limites suæ Activitatis. Quatuor porro has  
Propositiones continere reipla materiam Juris-  
dictioni Pontificiæ obnoxiam, utpote: quorum  
medio Universalem Ecclesiæ disciplinam velli-  
cari, quin, & dogmata attrectaari, testatur ip-  
ſe etiam Brietius, Gallus, id ætatis scriptor,  
nonum enim in mensē conventui supervixit.  
Illiū certe nomini inscripti Annales sic habent.  
„Clerus Gallicanus; gentilibus suis, in quatu-  
or illis propositionibus propinavit, multa velut  
dogmata de fide, circa Pontificiam auctorita-  
tem;“ Quæ sane inexcusabilis temeritas fuit.

13. Ego certe: sicut veneror talia Regum  
mandata civiliter; ita Decretis hujusmodi Pon-  
tificiis religiose adhæreo. Quod ipsum eodem  
etiam, quo nunc occupor opere, testatum  
volo. Distributas enim in eo jam habebam  
per voces congruas ceu totidem titulos: Synodi  
Pistoriensis propositiones, quinque omnino supra

O  O 

Octoginta. Quin & Phyleram quoque pri...am  
Typographo tradideram , dum Amici literis  
de præmemorati N. II. Intimati emanatione  
certior fio. Ut igitur paream civiliter Principi;  
novo ilicet labore, erasi illas , ne videlicet: per  
me vulgarentur quod Intimato Regio prohi-  
bebatur; non vero quasi easdem haberem pro  
haud damnatis Ecclesiastice. De reliquo : Ab-  
undet quivis per me licet in suo sensu , si tamen  
siverit, eum intimus animi sensus obluctari De-  
cretis non jam solum Synodi nationalis , verum  
etiam trium Pontificum definitionibus.

14. Nec est, quod quis in Regno Hungariae  
se queratur, contrariis Exterorum Doctorum ex-  
emplis, istud enim non esset aliud, quam contra  
commune Principium, quo ipse etiam S. Ste-  
phanus, l. I. c. 8, §. 4. usus est: *Alienos mores*  
*ad suos referre.* Illi etenim , qui opposita docent,  
aut eas incolunt regiones , quarum Clerus do-  
mesticus nullis Comitiis præclusit aditum merci-  
bus his peregrinis, aut a Religione Catholica  
sunt alieni, adeoque Papæ plerique infensi.

15. Quamquam ( Ut quod res est edicam )  
neque in orthodoxis scriptoribus extraneis ha-  
gent Adversarii nostri, quod multum gloriens  
tur:

— O —

tum: cum iisdem opponantur alii: Dignitatis, Eruditione, & Prudentia superiores, præsertim si numero diverse sentientium admaturis, quem iidem pro primo, & summo Archistratego jactant, ostendaturque illius qui prætentur non nisi Personatum ducem agere, ex cuius armamentario cum fere omnes commilitones sua, mutuati sint tela, consequens est: Illa obtundi, acie Authoritatis in ipso adeo eorumantesignano hebetata,

16. Jacobus nempe: Benignus Bossuet, dicitur (ut jam innui) fuisse Auctor operis, qui *Titulum: Defensio Declarationum Cleri Gallicani.* præfixum gerit. Deferremque ego etiam huic opinioni; nisi complura eaque gravia adessent argumenta satis superque persuadentia: Totum illud opus suppositum esse. Quorum cum alienigeni Auctores quoque meminerint, non est cur hic eorundem ratiocinia repetam.

Est autem: cur potius producamus quidpiam, quod adhuc in penu latuit domestica, quam nempe: fors, nemo exterorum scriptorum inspexerit, nisi obiter, & perfunctorie.

17. Proprius igitur Defensionis illius Architectus inox pro ipsius operis sui Vestibulo graviter

viter lapsus est: Primatis siquidem nostri, adeoque totius Conventus, illo Præside habiti verba, a scopo suo avulsa, alio violente, immo, & inique detorsit, quatenus videlicet: Censuras ejusdem quibus Achatholicorum tunc Ministelli perstringebantur, in Clerum Gallicanum latas fuisse, commentus est. Ad conflandam nimicum: Clero nostro apud Gallos invidiam, nec erubuit idem, ipsorum quoque Hungariæ Episcoporum paucitatem, acerba ibidem traducere Ironia. Quam quidem inurbanitatem, & arrogantiā, Bosnueto attribuere, foret admodum injuriosum.

18. Quem præterquam quod, pro indolis probæ cultissimorumque morum ac summæ moderationis viro habuere, & suspexere omnes; altæ etiam adeo mentis, & defæcati judicii extitisse referunt Annales, ut id ætatis nulli fuisse secundus conseretur: Prudentia, Eruditione, Orthodoxia. Id quod, Elucubrationes etiam ejusdem in propatulo ponunt: In quibus de sedis quoque Apostolicæ auctoritate ( quod ad rem præsentem facit potissimum ) plurima reverenter, nulla irreverenter pertractata esse reperies. Clarissimo sine dubio, & gravem præsum-

— O —

sumptionem efficiente indicio: Defensionem il-  
lam, Cleri Gallicani: summo Pontifici, per o-  
mnes suas declarationes apprime adversantis,  
ex humanissimo Bossueti calamo haud effluxisse.

19. Faciamus interim per omne inconces-  
sum: Hunc illius genuinum Auctorem, num  
propterea etiam prævalere eundem existimabi-  
mus Decretoriæ trium Pontificum sententiæ? Non  
equidem puto: si vel ad id discriminis mentem  
advertisamus: Quod Bossuetus, cum omnibus  
suis Asseclis svadere dumtaxat valeat, Pontifi-  
ces autem summi etiam imperent, Cyprianus  
equidem Carthaginensis, Sanctissimus juxa ac  
Doctissimus, erat Episcopus, in plenaria tamen  
Synodo, teste Divo Augustino: S. Stephani  
Papæ I. Doctrina Prævaluit ejus sententiæ, ut  
ut Asiaticorum, & Africanorum Conciliorum  
ac Episcoporum Baptismum ab hereticis colla-  
zum iterandum esse affirmantium, suffragiis Sti-  
patæ.

20. Unum itaque dumtaxat hic a te peto Le-  
ctor Adversarie, nec puto: id a te mihi nega-  
tum iri, ut nempe: Animo a partium studiis  
alieno perpendas, ac libera voce edicas: Quid-  
nam existimes futurum: si de his 4. Propositi-  
onibus,

onibus, in aliquo generali Concilio quæstio moveretur: An nimirum: Hæc Cleri Gallicani, vel vero opposita trium Pontificum ad universam Ecclesiam loquentium Decreta, essent approbanda? Divinationem hanc ante illum, cætum, sesqui fere Sæculo jam prius instituit Melchior Canus, de una prædictarum Propositio-  
num, eaque cæteris principaliori, quæ videlicet: *de infallibilieate Romani Pontificis in rebus fidei agit.* Et sic est vaticinatus „ Nolumus nos hic Ecclesiæ sententiam prævenire, sed si ad generale Concilium referatur, hæreseos nota inureretur neganti &c. lib. 6. cap. 7. de loc. Theol.

Quid autem amabo studiosius curandum est Theologo, quam aspernari propositionem, quæ Viro prudenti ac docto ( qualis fuit Melchior Canus, Rossueto procul dubio, tanto major, quanto hic Coævis extitit superior : De hæresi vel suspecta esse videatur ?

21. Nisi fors aliam etiam insuper notam vereatur Adversarius, eamque ( ut suspicari licet) inconstantiæ? si nempe; in controversia, de se adhuc tolerabili, partibus Gallicanis, quos ardentius diutiusque, jam sequebatur, repente desertis, ad castra veluti miles perfidus trans-  
fugiat

fugiat hostilia? Verum enim vero esto ratio  
haec valeat in causis æquilibrantibus; Prudentius  
tamen esse, semper habebatur, in dubio  
sequi probabiliora, tutioraque, præsertim ve-  
ro accedente novo rationis pondere, ad lan-  
cem alterutram, hoc enim casu sicut Sapi-  
entis est mutare Consilium, ita non nisi per-  
tinacis animi fuerit, insistere illi Principio:

*Video meliora, proboque, deteriora sequor.*

22. Jam vero praeterquam quod ipsa Præ-  
cellens Romanae Sedis auctoritas exigat: ut  
Doctrina ejus, in materia fidei, & morum  
privatarum quarumvis Ecclesiæ sententiis  
praeferatur, gravissimum etiam eidem super  
additum est momentum; repudiationem ea-  
rundem propositionum, adurgens: nempe re-  
centissima illa quæ superius. N. 6. relata est  
damnatio.

23. Quam quam vel sola status quæstionis in-  
timior notitia, homini cujvis cordato sufficere de-  
beat, ad mutandam priorem de ea sententiam.  
Quemadmodum adhuc ante Melchiorem Ca-  
num sesqui fere saeculo suffiecit: Viro, orbe to-  
to celeberrimo: Æneae nimirum Sylvio, ad  
suaem etipius hoc in genere opinionis solenis-  
simam retractationem. pro

— O —

Pro innata siquidem sua ingenuitate: confessus est, quam agnovit culpam. Qui etenim in acephala Synodo Basileensi Concilium supra Papam esse, mordicus tuebatur. Factus subinde summus Pontifex, edita Constitutione publica, suum hunc correxit errorem. Cujus quidem veluti redivivi verba; Adversarii quique, sibi dicta existiment, oportet, sic autem habent: „sequimini, quæ nunc dicimus, & seni magis: quam Juveni credite, nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem, Æneam rejicite, Pium recipite.“

24. Ast, quæret fortasse aliquis: Quænam tandem fuerit præ cæteris potior ratio illa, cuius motu, adeo exosæ sunt mihi redditæ, mercæs hæ Gallicanæ? cui ego sine mora: Quia ex ipsa suæ originis officina; natæ factæ sunt ad seminandas, fovendasque Sacerdotium inter, & Imperium discordias. *Illi enim* ( sunt, non mea, sed ejusdem, quem paulo ante laudavi Annalistæ verba ) Cleri Gallicani Comitiis, irritatam fuisse animorum dissensionem inter Innocentium XI. Pontificem, & Ludovicum XIV.

Qua quidem Animorum inter Orbis capita dif-

decorative flourish      O      decorative flourish

dissensione, cum nihil possit, Reip. Christianæ esse perniciosus; Quid mirum: Si fermentum hoc non sinatnr massam corrumpere ulteriorem?

25. Atqne utinam, nec in Gallia prodivis-  
sent qnaterni hi captiosi partus ingenii. Quo-  
rum nempe: Veluti totidem Viperarnm hali-  
tus; ad ipsos adeo Patres Patriæ pertigit ene-  
candos. Ausin enim dicere: Fæctionem mo-  
dernam nnnqnam conflandam fuisse, si avita  
erga Rom. Pontificem observantia in Gallia  
perseverasset.

*Lubrica res est libertas, ac fere definit in Li-  
centiam. Facilis que descensus averni. A Vil-  
pensione Videlicet: Principum Ecclesiasticorum  
ad contemptum Principum Politicorum. Et vi-  
ce versa; Hinc ajebat Præses Congregationis  
Mirabo: Confregimus jam Coronam, nunc Lace-  
remus Insulam. Utraque enim officit æqualita-  
ti, & libertati.*

26 Ut proinde ego ( Salvo meliori judicio )  
nullum; malo huic praesentius remedium ad hi-  
beri posse, censeam: Quam imitari quasdam  
Universitates, quae perpetuum hujus contro-  
versiae in Scholis imperarunt Silentium. Cujus  
nempe: definiendæ potestas sphæram privatou-  
rum excederet, quæve non aletri serviret effe-  
ctui magis, quam serendis adulacione dissidiis.

— O —

Propositorum. *Vide: Sacramentum. I.*

Proximi Amor.

1. Non tenemur proximum diligere actu interno formaliter. *Innoc. XI. 10.*

2. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. *Innoc. XI. 11.*

*Vide: Morsis. I. &c.*

Purgatorium.

1. Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone. *Luth. 37.*

2. Animæ in purgatorio non sunt securæ; de earum salute, saitem omnes, nec probatum est ullis rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendæ charitatis. *Luth. 38.*

\* An autem possint, per eas Viventes iustificari; nondum esse definitum ab Ecclesia: Patet ex Gav. Tom. I. Par. I. Tit. 7. R. 6.

3. Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu querunt requiem, & horrunt penas. *Luth. 39.*

4. Animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis  
viventium minus beatantur, quam si per se  
satisfecissent. *Luth.* 40.

5. Romanus Pontifex, purgatorii pœnas re-  
mittere non potest. *Sixtus IV.* contra Petrum  
de Osma. Anno 1483. *Vide:* legatum annum  
sub \* item: *Suffragia*.

Purificatio. *Vide:* *B. Virgo.* 4.

Quam primum. *V. Lex.* I. 2.

Quesnellus. *V. Jansenismus*, in fine.

Quies, Quietismus.

1. Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium cura etiam, & cogitatio Animæ; non debent ulterius aestimari tentationes, nec alia fieri iis resistentia, nisi negativa, non utendo industria, & si natura inde patitur, necessis est eam sinere pati, quia natura est. *Mol.* 17.

2. In occasione temptationum etiam vehementissimarum, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in amore, & resignatione. *Mol.* 37.

3. Per hanc viam internam ( quietis nempe & resignationis passiva ) pervenitur, etiamsi cum magna tolerantia ad expurgationem, & mortificationem omnium passionum; ita; ut nihil amplius sentiatur, nihil; nihil plane, neque percipiat quis inquietudinem ullam perinde, ut Corpus quoddam mortuum, neque anima se amplius in diversa transferri sinat.  
*Mol. 55.*

4. Per viam internam pervenitur ad continue consistendum immobiliter in pace quadam; imperturbabili: - *Mol. 62.*

5. Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem sensuum. Immo signum, quod quis in nihilo consistat, idest: mortuus sit morte Mystica; est: si sensus externi, non magis jam representent res sensibiles, quam si non existerent quandoquidem non efficiunt, ut intellectus se us applicet. *Mol. 63.*

6. Animabus proiectis, quæ reflexionibus morti incipiunt, quin et eo, ut mortua sint, jam pertingant, Deus nonnunquam impossibilem reddit confessionem; ipseque supplet tantumdem

dem illis largiendo gratiæ perseverantis, quantum reciperen ex Sacramento. Ideoque : his animabus non expedit eo casu, ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, quia non possunt. Mol. 60. *Vide Amor purissimus. Annibalio. Beguardi. Devotio. Resignatio. Via interna. Violentie.*

### Regulares.

1. Si aliquis ingrediatur Religionem privatam, qualemcumque, tam possessionatorum, quam medicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei. *Wiccleff. 21.*

2. Sancti, Instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccarunt. *Wiccleff. 22. Vide: Possessiones. 4.*

3. Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana. *Wiccleff. 23.*

4. Peccant fundantes claustra, & ingredientes, sunt Viri diabolici. *Wiccleff. 31*

5. Ingredientes Religionem, aut aliquem or-

dinem

dinem, eo ipso inhabiles sunt ad mandata obseruanda Divina, per consequens ad pervenientum in Regnum Cœlorum, nisi apostaverint ab eisdem. *Wicleff.* 35.

6. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo. *Wicleff.* 45.

7. Confessiones apud Religiosos factæ, pleraque, vel sacrilegæ sunt vel invalidæ. *Alex. VIII.* 4. Vide: *Mendicantes* per totum *Approbatio.* per totum *Indulgentiæ* 8.

8. Posse Regularem confaciem, in ea Dicecasi, in qua approbatus est confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem (reservatis) in illa Diœcesi, ubi idem Confessor approbatus est, absolvere; nisi eos penitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtainenda migrasse. *Constituonc Clem. X. superna* 22. *Jun. 1670.* declaratum est. Vide *approbatio.* 3. sub \* Item: *Absolutio N. 5.* sub \* quam huic conforma.

### Religio Catholica.

Non est evidens evidentia morali proprietatis,

—

dicta, & Physica: Religionem Catholicam esse veram \* Damnatum est a Clero Gallico: 17CO. tamquam quid temerarium, & in errorem inducens. *Vide: Fides.* 21.

**Religio revelata.** *Vide: Indifferentismus.*

**Resignatio passiva.**

1. Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de Paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, propriæ sanctitatis, a cuius spe etiam, se purgare debet. *Mol.* 12.

2. Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinquere cura, & cogitatio omnium rerum nostrarum, & permittere, ut in nobis sine nobis suum Divinum faciat velle. *Mol.* 13.

3. Qui resignatus est Divinæ voluntati, non debet a Deo quidquam petere, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est quodammodo velle, ut Divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra Divinæ voluntati. Et illud: *Petite,* &

*acci-*

— O —

aceipietis. Non fuit dictum a Christo Do-  
mino pro animabus internis, quæ volunt ha-  
bere voluntatem, quia & istæ eo deveniunt,  
ut non possint a Deo quidquam petere. *Mol.*

14.

4. Unde sicut nihil debent a Deo rogare,  
etiam non debent reddere illi gratias pro ulla  
re quia utrumque est æqualiter actus propriæ  
voluntatis. *Mol. 15.* *Vide: Amor purissimus,*  
*Annibilatio. Devotio. Quies. Violentia.*

### Restitutio.

1. Restitutio fructuum ob omissionem ho-  
rarum suppleri potest, per quamcunque Elec-  
mosynam, quam antea Beneficiarius de fru-  
ctibus sui Beneficii fecerit. *Alex. VII. 33.*

2. Restitutio a Pio V. imposta beneficiatis  
non recitantibus, non debetur in conscientia  
ante sententiam declaratoriam Judicis eo, quod  
sit pena. *Alex. VII. 20.*

3. Qui alium movet, aut inducit ad infe-  
rendum grave damnum tertio, non tenetur  
ad restitutionem istius damni illati. *Innoc. XI.*

4. Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna, summa totalis. *Innoc. XI. 38. Vide: Fursum.*

### Restrictio mentalis.

1. Si quis quocunque fine, vel etiam recreationis causa juret: se non fecisse aliquid, quod re ipsa fecit, intelligendo intia se aliud quod non fecit, -- non mentitur, nec est perjurus, modo id, quod intelligit, verum sit. *Innoc. XI. 26.*

2. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuerandas, vel ad quemlibet alium virtutis auctum ita, ut occultatio veritatis tunc censeatur expediens, & studiosa. *Innoc. XI. 27.*

3. Qui ad officium publicum promotus est, poterit praestare juramentum, cum restrictione mentali; quod de mandato Regis, a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fate-  
ri

ri crimen occultum. *Innoc.* XI. 28. *Vide: simulatio. Juramentum.* 4. 5.

\* Nec obstat: Quod si non iures, crimen occultum fatearis, datur enim medium, nempe: Non acceptandi officium. Ita Appendix de Damn. Prop. apud. Antoine.

### Resurgentium Corpora.

Hominum resurgentium Corpora lucidissima futura sunt, & spiritualia. *Est propositio male Sonans.* *Vide: Antoine* in Appendix de damnatis propositionibus. pag. 378. N. 8.

\* Ubi ille, pro male sonante propositione habet etiam illam, quæ de se quidem sensum habere queat, & Orthodoxum, & Heterodoxum; Præsumptio tamen sit, eandem ab Auctore suspectæ fidei in pravum sensum detorqueri: Quod ipsum a Brunetio hæretico, contra quem agit Antoine patratum fuisse constat: Ut qui *Corpora Resurgentia* ajebat, non fore Carnea, abutens illo scripturæ: *Seminatur Corpus animale, surget Corpus Spirituale.* I. Cor. 15. 44. Cum tamen sensus ibi a *Spiritu S.* intenuis

non

— O —

non alias sit: quam Corpora resurgentium Ele-  
ctorum futura Spiritui similia, qui nec cibo,  
nec potu habeat opus, sitque levis, subtilis,  
penetrabilis. &c.

### Ritus Sinici, & Malabarici.

1. De Ritibus his, nihil de meo adfero,  
sed ea solum fideliter transcribo, quæ de iis-  
dem Cl. P. Bertius in suo historiæ breviazio,  
c. 3. ad saeculum 18<sup>vum</sup> historice refert, bono  
controversiam tam amplam, tamque diutur-  
nam includens compendio, verba illius sunt.

2. Non uno decreto Sinenses, & Malabari-  
ci ritus superstitioni declarati fuerunt, postquam  
proscripti fuerant a Congregatione de propa-  
ganda, jam Anno 1645. Sed postea 1656.  
ad relationem P. Martinii S. J. sublati super-  
stitionibus approbati. Ad illos explorandos in  
Sinas Anno 1793. Carolus Majgrot Anno 1701.  
Carolus Thomas de Tournon. Anno 1720.  
Ambrosius Mediobarbus. Anno 1730. Epi-  
scopus Halicarnasensis de la Beaume in Re-  
gnum Indiæ ulterioris Cocinchinam, tamquam  
Lagati Apostolici missi fuere.

3. Ritus itaque a Carolo Majgrot proscriptos,  
Carolus Thomas de Tournon solenni edito  
damnavit Pudicherii Anno 1704. IX. Cal. Ju-  
nias, sed in exilium pulsus a Sinarum Impe-  
ratore Anno. 1707. die 19. Junii Amacai  
consistere jussus est. Ubi relegatus, eodem  
que Anno. 1707. promotus ad purpuram,  
pie obiit. Anno. 1716. die 8. Julii,

4. Mediobarbus Anuo 1722. Romam rever-  
sus est, legatione sua inter magna pericula  
expleta, & Episcopus Laudis - Pompejæ in In-  
subria creatus - - Antistes vero Halicarnassen-  
sis in Cocinchinam profectus, Anno 1740.  
decessit. Omnes isti, Ritus, de quibus agi-  
tur, reprobarunt. Decretum vero Cardinalis  
de Tournon confirmavit Clemens XI, Anno  
1711. - - & rursus Bulla: *Ex illa die edita.*  
Anno 1715. die 19. Martii, & pariter Bene-  
dictus XIII. Clemens XII. & Benedictus XIV  
in cuius constitutione: *Ex quo singulari;* e-  
manata Anno 1742. expressæ inveniuntur, &  
confirmatæ Pontificum prædecessorum defini-  
tiones.

5. Horum Rituum pravitas in eo potissimum si-

ta

— O —

ta est: Quod Confucio Templum erigant, quod appellant: *Miao*. quo nomine vocantur quoque templo Idolorum. Eadem immolant vi<sup>m</sup>inas, accensis cereis genua flectunt, & prostrati frontemque percutientes in terram, illius Spiritum, quem adesse putant, cultu religioso prosequuntur.

6. Progenitorum pariter animas venerantur, inscriptis tabellæ verbis: *Xin Gey*, vel *Xin Chu* - quæ significant: Illic easdem animas tamquam in throno, vel sede morari. Deum vocant: *Xang-Ti*, ac *Tien*, quo nomine demonstratur ætherea materies. Nuptis, collo apponunt tessera m<sup>u</sup>nitionis, cum imagine Idoli, quod vocant: Polleyarem, & resticulam 108. filis contextam croceoque succo delimitam. Festum ob mulieribria, dum primo fluunt, & puella appetet apta viro, concelebrant, tali fluxu laborantes adire templo atque ad Sacraenta accedere prohibentur. Ad Parreas, adesque ignobilium, Missionarios infirmum visitaturos, & administraturos Sacraenta ire non sinunt; aliaque plura, quæ legi possunt in prælaudata  
Bene-

Bened. XIV. Constitutione. Haec tenus Bertius, Alii autem paulo aliter, quoad circumstantias nonnullas. *Vide: Libri prohibiti.* 3.

### Sacerdotes.

1. Sacerdotes, quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluant potestate, & sicut filii infideles sentiunt infideliter, de VII. Sacramentis Ecclesiat, de clavibus, officiis, censoriis, moribus, ceremoniis, & Sacris rebus Ecclesiae. *Huss.* 8.

Sacerdotes Christi, viventes secundum leges ejus, & habentes scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obstante prætensa excommunicatione, quod si Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti, sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire. *Huss.* 17.

3. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante. *Huss.* 18.

4. Simplex Sacerdos non approbatus ab Epi-

Episcopo, habet potestitem absolvendi a pacatis venialibus. *sub Innoc. XI. 1679.*

\* Immo etiam Parochus, qui reliquit beneficium Parochiale, debet iterum approbari, si velit audire Confessiones. *Vide: Ligor. Lib. 6.*

**N. 542. Debet autem velle, cum sit Presbyter. Id. n. 625.**

5. Potest Pontifex Laicis saltenti in necessitate conferte jurisdictionem audiendi Confessionem Sacramentalem.

\* Sub Urbano VIII. Anno 1630. Quæstionem hanc excitarat Sacerdos nescio quis, missus ad Sinas, ut si responsum esset: id fieri licere, viam faciliem aperiret audiendis confessionibus fæminarum, quæ illic custodiuntur arctissime. Ita Sandinus in vita laudati Pontificis. *Vide: Confessarius. 1. 2. Episcopus 3. Intentio. 1. Peccator. 7. Pœnitens. 2. Item Vocem: Quamprimum. Beneficium Curatum 2.*

### Sacramentum.

**I. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, de valore Sacramentorum relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni in-**

ꝝ O ꝝ

incurrendi. Hinc sententia probabili tantum  
utendum non est, in collatione Baptismi, or-  
dinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. *Innoe.*  
*XI. 1.*

\* Non subiacere damnationi huic, sen-  
tiam docentem: sufficere propositum virtuale  
in Sacramento Pœnitentiæ; haud convenit in-  
ter Auctores.

2. Urgens metus gravis, est causa suffici-  
ens administratione n. Sacramentorum, simu-  
landi. *Innoe. XI. 29.*

\* Ut si metu mortis daretur indigno hostia  
non consecrata. Confessarii tamen, qui pœni-  
tent, quem non absolvunt, dant benedictio-  
nem, ne apud alios suspicionem incurraint:  
non simularent administrationem Sacramenti;  
Quia licet ista conjungantur de ordinario Ec-  
clesiae usu, Confessarii nihilominus sic benedi-  
centes, faciunt quod muneris eorum est, &  
nec directe nec indirecte intendunt aliud, mul-  
to autem minus deceptionem.

3. Hæretica sententia est, sed usitata, Sa-  
cramenta novæ legis justificantem gratiam illis  
dare, qui non ponunt obicem. *Luth. 1. Vi-*  
*de:*

**O**  
de : Pœnitentia Sacramentum : 5. de Forma  
Sacraimen. Conditionata. Vide: *Absolutio*, sub  
\* & Synod. Dicec. L. 7. cap. 15.

Sancti. Vide: *Anima*. 3. *Violentiæ*. 7.  
Satisfactio.

1. Ordinem, præmittendi satisfactioem  
absolutioni, induxit, non politia, aut institutio  
Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio,  
natura rei idipsum quodcumodo dictante.  
*Alex. VIII. 16.*

2. Per illam praxim, mox absolvendi, ordo  
Pœnitentiæ est inversus. *Alex. VIII. 17.*

3. Consuetudo moderna, quoad administra-  
tionem Sacramenti Pœnitentiæ, - - ab Eccle-  
sia non habetur pro usu, sed abusu. *Alex.*  
*VIII. Vide: Confessio. 11. Communio. 5. Men-  
dicantes. 8. Mortificationes. 3. 4.*

Scandalum. Vide: *Via interna*. 5.

Schisma.

Imperii, & Sacerdoti. Vide: *Investitura*, &  
*Propositiones Cleri Gallicani.*

Schism

Schisma Papale, seu Pontificium.

1. Schisma XXII<sup>dum</sup> omnium Schismatum quæ ante fuerunt, pessimum fuit, ut etiam doctissimi, & conscientiosissimi Viri non valerent discernere, cuius esset magis adhærendum fuitque continuatum per annos XL. - - Et ideo ab Urbano VI. usque ad Martinum V. nescio quis fuit Papa. ait Vernerus apud Sandinum in Vita Urbani VI.

2. Cujus ultimæ propositionis, si sensus sit: Nullum tunc fuisse Verum Papam, erronea est. Quod si per illam significaretur: Ignotum existisse, quis nameorum fuerit reapse Papa? Omni omnino careret suspicione. Nam tametsi necessarium sit credere: sicut unam esse Ecclesiam non plures; ita & unicum esse Pastorem ejus, Vicarium Christi. Tamen si continget plures creari Pontifices uno, & eodem tempore, non videtur, saluti necessarium, credere: hunc vel illum, sed unum eorum, qui nempe: sit Canonice electus; esse Pontificem. Quis autem fuerit Canonice electus, non, te-

O

netur

netur qui's scire - - sed in hoc, populi possunt  
sequi Prælatos suos. Ita S. Antoninus, 3. part.  
Chron. Tit. 22. cap. 2.

### Schisma Photianum.

1. \* Auctor ejus erat Photius Mæchus, &  
invasor Patriarchatus C. P. sicut eruditissimus;  
ita summe ambitiosus. Errores illius contine-  
tur capitibus ipsis, quos ille Anno circiter 897.  
Latinis criminis vertit. Præcipui erant: Quod  
Spiritum Sanctum, a Patre, Filioque proce-  
denter affererent.

2. Quod Vocem: *Filioque*, symbolo inseru-  
issent: reliqua frivola, & nullius momenti  
erant.

3. Veluti Jejūnium sabbatinum, Ovorum  
eius in Quadragesima. Rasio barbæ. &c.

4. Nam Photius nullam de Azymo fecit  
mentionem, sed post duofere sæcula Michael  
Cærularius de eo item movere cœpit Romanæ  
Ecclesiæ.

Scientia Media. *Vide: Jansenistica Bi-  
bliotheca. 3.*

Rcriptura

Scriptura Sacra.

1. Utile, & necessarium est, omni tempore, omni loco, & omni Personarum generi studere, & cognoscere Spiritum, & pietatem, Mysteria S. Scripturæ. *Ques. 79.*

2. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus. *Ques. 80.*

3. Obscuritas Sancti Verbi Dei, non est laicis ratio dispensandi seipso ab ejus lectione. *Ques. 81.*

4. Dies Dominicus a Christianis debet Sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctorum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione abstrahere. *Ques. 82.*

5. Est illusio, sibi persuadere: quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fæminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fæminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est scripturarum abusus, & natæ hæreses. *Ques. 83.*

6. Abrigere ex Christianorum manibus Nau-

vum

vum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo illis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. *Ques. 84.*

7. Interdicere Christianis lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangelii: est interdicere usum lumenis Filiis Lucis, & facere, ut patientur speciem quamdam excommunicationis. *Ques. 85.*

8. Eripere simplici populo hoc solatium: jungendi vocem suam, voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei. *Ques. 86. Vide: libri prohibiti.*

### Semi-Pelagiani,

Semi-Pelagiani ita disti, quod Pelagi erores, partim cum Ecclesia damnarent, partim defenderent, errarunt afferentes.

1. Initium justitiae, & salutis esse ex nobis per volitionem credendi, & pie vivendi solis liberi arbitrii viribus elicitam, & per orationem, ac petitionem auxilii, ad id necessarii pure naturalem.

2. Gratiam omnibus offerri, & arbitrium pro-

propria virtute illi consentire, ac proinde gratia non præveniri, sed præire, consequenter gratiam esse in ejus potestate, nec esse necessariam ad incipiendum bonum, sed solum ad prosequendum.

3. Gratiam prædicationis Evangelii quibusdam adultis, & Baptismi quibusdam parvulis ante rationis usum morituris, conferri propter merita conditionate prævisa, uti & perseverantiam, ac electionem ad gloriam.

4. Non dari a Deo gratiam peculiarem, certis hominibus specialiter delectis. Posse omnes viribus naturæ perseverare, si velint. *Ita Platelius p. 2. Synops. Theol. N. 987.*

\* Ab erroribus his peculiari quodam decreto prescribendis ultra saeculum abstinuit Ecclesia, dum tandem Synodus Arausicana II. sub Papa Felice IV. Anno 529. Celebrata, illos ex professo damnasset. Synodum hanc Felicis successor Bonifacius II, Apostolica confirmavit auctoritate. Novissime vero Tridentina Synodus ejusdem definitiones adoptavit. *Seff. 6. Can. 2. & 3.*

5. Pactum, quo Deus decretivit: *Homini quod*

*in se est, naturæ viribus facienti, dare gratiam.*  
**Clerus Gallican.** Anno 1700, Commentitium  
& temerarium, erroneumque esse definitiv.  
*Apud P. Charmes Tract. de Grat. Diff. 1.* Nec  
facit quiquam contra paritas a pacto, quod  
Deus cum Adamo inivit de conservanda Justi-  
tia originali, sub conditione observati præcepit,  
de non comedendo pomo vetito. Hæc enim  
conservatio, non pendebat, ab actu mere na-  
turali, sed a supernaturali Obedientia. *Vide:*  
*Pelagius.* 8. *Jansenius:* 4. 5.

**Sententia Romæ visa, & tolerata** *Vide:*  
*Bulla I.*

**Sepultura.**

**Legem: Mortuorum.** Prohibentem corpora de-  
functorum sepeliri intra civitatem, abrogavit  
**Nicol.** Papa in Can. *Cum gravia.* V. Duellum. 2.

**Sigillum Sacramentale.**

**I.** *Scientia ex Confessione acquisita uti li-  
cet, modo fiat sine directa, aut indirecta re-  
vela-*

velatione, & gravamine Pœnitentis, nisi aliud  
multo majus ex usu sequatur, in cuius  
comparatione prius merito contemnatur. Nota.

\* Hanc propositionem prohibitam esse sub  
Innoc. XI. In generali Congreg. S. Inquisit.  
habita die 18. Nov. 1682. Etiam pro casu  
quo sine omni revelatione pœnitentis grava-  
men aliquod is pateretur, quamquam grava-  
men majus pateretur sine usu scientiæ hujus.  
Verbo: Quoties gravamen quodpiam fieret,  
pœnitenti ex usu scientiæ hujus, etiam si nomen  
pœnitentis omnino occultum maneret, vel hoc  
revelaretur, etiam absque gravamine illius.

2. Opstrædt tamen pag. mihi 479. in Pasto-  
re bono, sic dicto. Audet docere: non esse  
violationem sigilli, sponsos cogere ad differen-  
dum matrimonium, per denegationem ablo-  
lutionis, etiam tunc, cum colligeretur; cri-  
men aliquod in Confessione, matrimonio jam  
jam contrahendo præmissa deprehensum. v. g.  
Affinitatis ortæ ex copula sponsæ cum Patre  
Sponsi, adeoque Affinitatis in I. gradu lineæ  
rectæ.

3. Affine huic est, quod, in præfatione Pa-  
storis

— O —

storis boni suadet idem' Auctor Episcopo: Ut  
videlicet: consulat Confessarios Candidatorum  
ad Clericam potentium, de ipsorum probita-  
te, & Spiritu interno. Inmemor ejus, quod  
hac ratione, occasio præbereatur tum Confessa-  
riis frangendi sigilli, aut erforis in Episcopo  
causandi, tum etiam Candidatis pœnitentibus  
non sincere confitendi, ne bono nomini suo of-  
ficiant apud Patrem Spiritualem. *Vide: La-  
croix. Lib. 6. parte 2. N. 200.*

\* Carboneanus apud Antoine parte 2. pag.  
**244.** ita ad propositum: Nec ferri potest abu-  
sus, qui apud Photianos plerosque viget, de  
exigendo, tamquam necessario Confessarii te-  
stimonio, dum aliquis ad Sacros ordines sit  
promovendus; non enim potest Confessarius  
de iis, quæ in Confessione novit quidpiam te-  
stari, ut universa, tum Orientis, tum Occiden-  
tis Ecclesia semper docuit. Vide de hac re (per-  
git porro Auctor !) Papadopoli, *Respons. 6.*  
*Sect. 8.* in qua N. 5. ostendit. 1. Jure Grecæ  
gentis Sacerdotem a Confessionibus ad testi-  
monium neque pro filio Spirituali neque con-  
tra eundem recipi. 2. Secretum S. exomolo-  
geleos

gēseos violari nullam ob causam posse. 3. Testimonium hujusmodi exitiosum, ac stultum esse. *Vide: Jansenismus.*

### Simonia.

1. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant, orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus *Wicl. 25.*

2. Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, quando tempore non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale, vel etiam quando tempore sic, tantum grata compensatio pro Spirituali, aut e contra. *Innoc. XI. 45.*

\* Inter rationem motivi, & gratitudinis, de quibus meminit hæc propositio, illud intercedit discriminis: quod dans, aut accipiens aliquid temporale tamquam motivum pro Spirituali committat Simoniam, quamvis nullum aliud pactum interveniat, contra vero dans, aut accipiens aliquid tempore pro Spirituali jam collato ex mera gratitudine, non incidat

— O —

in Simoniam, nisi aliquod aliud pactum expressum, vel tacitum præcesserit. Ut: do tibi Rflos 100. quo mibi gratus sis, per collationem Beneficii. Aut nisi existet specialis aliqua lex prohibens: qualis existat v. g. de Synodalibus examinatoribus, quibus Conc. Trid. Sf. 14. de Refor. cap 18. prohibet: ne quid quam a concurrentibus pro Parochia, vel sponte, & mere, ex gratitudine oblatum acceptent, etiam post beneficii collationem. Dantu: autem plures, ( Quod videre est apud Maschat Institut. Cano. L. 5. Tit. 3. N. 18. seqq. Hujusmodi prohibitiones.)

3. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale, sit principale motivum dandi Spiritualis, immo etiam sit finis ipsius rei Spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res Spiritualis. *Innoc. XI. 46.*

\* Cum hæc propositio: Principale dumtaxat, ac primarium motivum assumat pro causa incurriendæ Simoniae; consequens est: quod non sit Simonia, dare, seu præstare temporalia, sub spe consequendorum Spiritualium; dum

— O —

dum nempe: Spiritualium consecutio, secundario solum, & minus principaliter intenditur; unde: Clericus suum famulatum præstans Episcopo, est Simoniacus, si ob eum famulatum principaliter, & primario intendat ademptionem Beneficii, secus autem: si principaliter, & primario intendat gratiam Prælati, aut notificationem suæ habilitatis apud eundem, ac interea secundario, speret obtentionem Beneficii. *Ita expresse Glossa, in c. cum essent. 12. de simonia, verbo Promiserat, ibi.*

\* Aliqui apud Ligorium hic; Ad incurram hanc hujus Simoniæ pœnam, requirunt pactum expressum. Vide: Compend: Pichleri *Tom. 2. L. V. Tit. 3, N. 11.*

4. Non est contra Iustitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente non exigit illam, pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. *Alex. VII. 22.* Vide: *Beneficium. 4.*

5. Concilium Lateranense IV. sub Julio II, inchoatum, ac sub Leone X, terminatum;

De-

declaravit: Simoniacam Pontificis electionem  
esse irritam.

Simulatio *Vide: Sacramentum.*  
Sociniani.

\* Hac nostra ætate hæreticorum pessimi,  
Pelagionorum errores suscitarunt. *Vide: pro-*  
*inde: Vocem: Pelagius.*

Solicitatio ad turpia.

1. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censurur solicitasse, ac proinde non est denunciandus. *Alex. VII. 6.*

\* Cum jam prius Anno nempe 1623. Gregorius XV. graviter puniendos præcepisset Sacrae Inquisitioni: Sacerdotes, qui occasione Confessionis pœnitentem ad turpia solicitassent.

2. Modus evitandi obligationem denunciandæ solicitationis est. Si solicitatus confiteatur cum solicitante. Hic potest absolvere ipsum absque onere denunciandi. *Alex. VII. 7.*

\* No-

\* Nota. Præceptum denunciandi: Confessarios solicitantes ad turpia, & pœnæ alias huic solicitationi indictæ, non extenduntur ad alia crimina, a re venerea diversa, ut habet. Bened. XIV. Synod. Diæc. L. 6. c. 11. q. 8. 10.

\* Ad rem autem venereum solicitantem Confessarium tenetur pœnitens deferre, 1. etiamsi simplex Sacerdos fuerit, 2. Etiamsi non pro se, sed alio solicita verit, 3. Etiam Pœnitens solicitanti consenserit. 4. Etiamsi is jam sponte sua, aut admonitus a pœnitente se stiterit, immo & correptus fuerit, Ita declaravit ac præcepit, hæc omnia Bened. XIV, in Bulla: *Sacramentum Pœnitentiae*, ubi insuper gravissimo præcepto obligat Confessarios, ne absolvant, quos ab alio solicitatos noverint, nisi prius denunciaverint, vel saltem serio promiserint, se denunciatiuros, quamprimum poterunt.

Sponsalia, quoad rationem Contractus.

Sponsalia proprie dicta, esto sint contractus civi-

— O —

civilis; Dicere tamen: illa non subjacere Juribus Ecclesiæ, est aperte adversari Concilio Trid. Impedimentum Publicæ Honestatis, Matrimonium dirimens, ex illis oriri docentis. *Seff.* 23. *cap.* 3. & Disciplinæ Ecclesiæ, usuique Fidelium; eadem pro aëtu ad Sacramentum Matrimonii disponente habentium. *Vide: Matrimonium.*

### Spes.

1. Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, ut cœlestem obtineat gloriam non est recta, nec Deo placens. *Alex.* VIII. 10.

2. Quis quis æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties ex intuitu licet Beatitudinis operatur. *Alex.* VIII. 13. *Vide: Amor.* 12. *Amor purissimus Attritio Fides,* 23. *Lex.* 8. *Resignatio passiva.* 1. *Oe. Timor.* per totum. *Via interna.*

Status Innocentiae *Vide: creatio.* Naturæ vires, *Pelagius.* supernaturale.

Sti-

O

## Stipendium.

1. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus; ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani 8<sup>vi</sup> *Alex. VII. 8.*

2. Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte sibi retenta. *Alex. VII. 9.*

\* Quod si istud illicitum est; minus profecto licebit: Toto stipendio retento, gratuitam alterius Missam, Suæ ad satisfactionem substituere? Ut adeo Regulæ instar esse debeat: Eum, qui stipendium accipit, obligari etiam in persona ad celebrandam, & applicandam Missam. Nec est, ut alia hujus sententiaæ quaeratur ratio, quam quæ adferri potest pro ipso Urbani Decreto, unde istud deducitur, vi cuius certe prohibetur id in manualibus stipendiis, quod alias permittitur in fundatis, ex quibus nimirum: potest minus dari supplementibus, quam obtingat fundatis. Agit de hoc casu Ben. 14. lib. 13. Sy. Dœc. cap. ult, N. 17.

— O —

3. Non est contra Justitiam pro pluribus  
sacrificiis stipendium accipere , & sacrificium  
offerre unum, neque etiam est contra fidelis-  
tatem, etiamsi promittam, præmissione etiam  
juramento firmata danti stipendium, quod pro  
nullo alio offeram. *Alex. VII. 10. Vide :*  
*Suffragia. 1.*

### Suffragia.

Orationes Speciales per Prælatos , ac Religi-  
osos uni personæ applicatæ, non plus profundunt,  
quam preces generales cæteris paribus. *Wi-  
cleff. 19. Vide : Stipendium. 3.*

### Superfluum.

Vix in Sæcularibus invenies , etiam in Re-  
gibus superfluum statui, & ita vix aliquis te-  
netur ad Eleemosynam: quando tenetur, tan-  
tum ex superfluo statui. *Innoc. XI. 12.*

### Supernaturale.

I. Absurda est eorum sententia , qui di-  
cunt : hominem ab initio , dono quodam  
super-

supernaturali, & gratuito supra conditionem  
naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, &  
Charitate Deum supernaturaliter coleret. *Baj.*

23.

2. A variis, & otiosis hominibus secundum  
insipientiam Philosophorum excogitata est sen-  
tentia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est:  
Hominem ab initio sic constitutum, ut per do-  
na naturæ superaddita fuerit largitate condi-  
toris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.  
*Baj.* 24. *Vide: Creatio. 3. Æ. Immortalitas.*  
*I. 2. Naturæ vires.*

Thalmud. *Vide: Hebræi*  
Tædium Spirituale. *Vide: Devotio. 3. 4. 5.*  
Theologus.

Theologus minus est dispositus, quam sim-  
plex, & idiota ad hoc, ut sit contemplativus. 1.  
Quia non habet fidem tam puram. 2. Quia  
non est tam humilis. 3. Quia non curat per-  
inde de sua salvatione. 4. Quia habet caput  
pienum phantasmatibus, speciebus, opinioni-

bus, & speculationibus, & in eum nequit verum lumen intrare. *Mol.* 64. *Vide: Contemplationis status.* 5. *Via interna.* 10.

## Tentatio.

1. Fures, & Latrones sunt, qui dicunt, temptationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere posse hominem, sic, ut in eam non inducatur. *Baj.* 30. *Vide: Opus bonum,* 5.

2. In extremis probationibus pro purificatione amoris, fit quaedam separatio partis superioris animæ ab inferiore -- In ista separatione aëtus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione, nam totum quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris. *Innoc.* XII. 14. *Vide: Amor purissimus.* per totum. *Opus bonum.* 6. *Oratio.* 7. *Christus.* 5. *Violentiae Carnales.*

## Testamentum Vetus, & Nov. *V. Fædus.*

## Timor.

1. Timor gehennæ non est supernaturalis. *Alex.* VII. 14.



O



2. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore Justitiae non ducitur. *Ques. 61.*

3. Qui a peccato non abstinet, nisi timore penae illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. *Ques. 62.*


4. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Iudeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *Ques. 63.*

5. Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem vitando. *Ques. 64.*

6. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint Filium: cum non efficerint nisi mancipia per timorem. *Ques. 65.*

7. Qui vult Deo appropinquare, nec debet venire ad ipsum cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestiæ, sed per fidem & amorem, sicuti filii. *Ques. 66.*

8. Si solus supplicii timor animat penitentiam, quo est haec magis violenta, eo magis dicit ad desperationem. *Ques. 60.*



9. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, intractabilem. *Ques.* 67. *Vide:* *Attritio per totum. Amor purissimus.* 12. *Via interna.* 2.

**Tridentinum.** *Vide:* *Approbatio.*

**Trinitatis Mysterium.**

**Unitas** Divinarum Personarum in natura non est vera, & propria, sed quasi collectiva, & similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines: unus populus, & multi Fideles: una Ecclesia.

\* *Propositio hæc erat Joachimi Abat, quædamnata est in Conc. Lat. IV, 1215. Vide: Fides.* 14.

**Turca.**

**Præliari** adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniurias nostras per illos, *Luth.* 34.

**Tyrannus.**

Quilibet Tyrannus potest, & debet licite, meritorieque occidi per quemcunque vasallum suum

ſuum , vel ſubditum , etiam per clanculares inſidias , & ſubtiles blanditiias , vel adulatio[n]es , non obſtantे quocunq[ue] p[re]ſtitio Juramento , ſeu confederatiōne , factis cum eo , nec expeſtata ſententia , vel mandato Judicis cuiusq[ue] . *Damnata eſt 1418. in Concilio Conſtantienſi , approbante Damnationem ejusdem Martino V. ſubinde in Papam electo.*

### Venditio.

Licitum eſt tabernariis , vinum aqua miſcere , & agricolis triticum paleis , & communi pretio vendere ; dummodo deteriora non reddantur iis , quæ communiter venduntur . *Damnavit hoc Anno 1655. Parisiens. fac tamquam contrarium Iuſtitiae , non quidem , com mutativæ , ſed legali , bonæque insuper fidei : Vide: Vocem: Emptio , & Contractus. Cui adde.*

\* Rei cui libet venali ; triplex ſtatui pretium : Summum , medium , ac infimum . Nec dubitari : Quin Contractus , limites hos non excedens , ſit licitus , ſed quæri ſolum : A quo nam horum termino incipiat eſſe prohibitus ? Et reſpondetur : Vi declarationis Pontificiæ ſu-

— O —

porius Voce: *Contractus*. Relatæ, quoties pre-  
tium; justo: sive infimo minus, sive summo  
majus intervenit, semper *contractus* est illici-  
tus ex parte lœdantis, evaditque etiam invalidus.  
Vi legum tamen civilium: valet in foro  
externo, in quantum videlicet: denegatur  
læsio: Actio, nisi læsio præcesserit ultra dimi-  
diuum justi pretii.

### Via interna,

1. Via interna est illa, in qua non cognoscitur lumen, aut amor, aut resignatio, neque necessarium est cognoscere Deum, & sic bene proceditur. *Mol. 6.*

2. Non debet anima cogitare, aut præmiūm, aut pœnam, aut Paradisum, aut Infernum, aut mortem, aut æternitatem. *Mol. 7.*

3. Non debet velle scire, an ambulet cum voluntate Dei, aut sit resignata ei, vel non, nec est necesse, ut velit cognoscere statum suum, nec proprium nihilum, sed se se habeat quasi corpus mortuum. *Mol. 8.*

4. Non debet anima memor esse, vel, sui ipsius

ipsius, vel Dei. vel ullius rei, & in via interna omnis reflexio est nociva supra suas actiones humanas, ac proprios defectus. *Mol.* 9.

5. Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi, & non posse reflectere se ad proprios defectus est donum Dei, *Mol.* 10.

6. Ad dubia, quæ accidunt, recte ne procedamus, an non? non est necesse reflectere, *Mol.* 11.

7. Animabus hujus viæ interiore, non convenit, ut faciant operationes, virtuosas ex propria electione, & activitate, alioquin mortuæ non forent, nec debent facere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, humanitatem Christi, quia cum hæc objecta sint sensibilia, talis erit amor erga illa. *Mol.* 35.

8. Tres hæc viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, ineptia est maxima, quæ unquam prolata sit in ipsa Mystica, cum non sit, nisi unica, idest: Via Interna, *Mol.* 26.

9. Nec ante, nec post communionem alia est opus præparatione, aut gratiarum actione,  
pro

pro animabus hisce internis, quam ut se teneant in solita resignatione passiva, quia in hoc invenitur amor, qui supplet modo perfectiori, quam omnes alii virtutum actus, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria. Etsi in hac occasione communionis accident motus humilationis, petitionis, gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus, aliter enim sunt impulsus naturæ nondum mortuæ. *Mol.* 32.

IO. Via interna separata est a Confessione, & Confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia. *Mol.* 56.

II. Duæ leges, duæ voluntates; altera animæ, altera amoris proprii durat, quamdiu amor proprius durat, unde, ubi hic expurgatus, & mortuus fuerit, uti sit, per viam internam, non amplius ibi sunt duæ leges, neque duæ voluntates, nec ulla sit subreptio, aut motus improvisus, neque aliquid porro sentitur, ne unum quidem veniale peccatum. *Mol.* 56. *Vide: Beguardi.*

Violentiæ Carnales.

I.

1. Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat; permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, & non arreptitiis, ut dæmon operetur violentias in eorum corporibus, illasque committere faciat actus carnales etiam in vigilia, & sine mentis obfuscatione, movendo illis physice manus, aliaque membra, contra earum voluntatem. Et idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos. Quo casu non est peccatum, quia non est consensus. *Mol.*, 41.

2. Poteſt dari casus, quo hæ violentiæ, ad actus carnales existant, eodem tempore, ex parte duarum personarum, id est viri, & fœminæ, & consequenter actus ex parte amborum. *Mol.*, 42.

3. Cum hæ violentiæ accidunt, oportet sumamus satanam agere, non utendo propriæ industria, aut viribus, sed consistendo in nihilo. Ac tameſi accident pollutiones, actusque obscenæ manibus procurati, atque etiam his magis insolita, & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores, quia anima magis illuminata,

— O —

nata, robustiorque, & candidior sit, & acquiritur  
sancta illa libertas. Ac imprimis non oportet  
illa confiteri, fitque sanctissime illa non con-  
fitendo, quia sic vincitur dæmon, & thesa-  
rus quidam pacis obtinetur. *Mol. 47.*

4. Satanus, qui facit tales violentias, sug-  
gerit deinde esse graves defectus, ad inquie-  
tandam animam, ut non progrederiatur via in-  
terna. Unde ad tollendas ei vires, præstat ea  
non confiteri, quia nec quidem sunt peccata  
venialia. *Mol. 48.*

5. Quando haec violentiae etiam impuræ ve-  
niunt, finementis obfuscatione, tunc ea potest  
se Deo unire, & re ipsa magis unitur. *Mol. 52.*

6. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua  
operatio in aliis personis (quaer me consulunt)  
fuerit violenta; Regula -- non solum est,  
quod protestantur haec animæ, se non consen-  
sisse, vel quod non possint jurare, se consen-  
sisse, ac quod videamus esse animas, quaer pro-  
fectum faciunt in via interna. Sed præsertim  
dirigo me: lumine quodam superiore, ve-  
luti revelatione, qua securis reddor, & de  
opera-

operationis violentia, & de luminis certitudine. *Mol. 53. quoad sensum.*

7. Deus temporibus præteritīs faciebat Sanctos, per medium Tyrannorum, hodie facit eos per medium dæmonum, qui dum iis causat violentias dictas, facit, ut ii magis se vilifcent, & annihilent in seipsis, seque Deo resignent. *Mol. 43.*

8. Job blasphemavit, & tamen in eo non peccavit. *Mol. 44.*

9. Idem faciebat pollutiones manibus suis, eo ipso tempore, quo mundas ad Deum preces habebat, quia eas passus est per violentiam dæmonis. *Mol. 49.*

10. David, Jeremias, & multi ex Prophetis Sanctis, patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum exterparum, *Mol. 50.*

11. Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias daemonis; unde scripsit: *Non, quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, hoc facio.* *Mol. 45.*

12. In Scriptura S. multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Samsonis, qui per violentiam occidit se ipsum cum Philistaeis, uxorem duxit alieni-

— O —

genam, fornicatus est cum Dalila meretrice; quæ alias erant res prohibitæ, & fuissent peccata. Item Judith, quæ mentita est Holoferni, Elisæi, qui pueris maledixit; Eliæ, qui igne consumpsit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediate a Deo, vel daemonis ministerio, ut aliis accidit animabus, in dubio relinquimus.

*Mol. 51.*

**13.** Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam, ad veram transformationem, & unionem, neque alia est via, estque facilior, & securior. *Mol. 49.* Vide: *Beguardi.*  
4. *Annihilatio. Contemplatio. Quies.*

### Virtutes. Vitia.

Vide: *Beguardi* 6. *Contemplatio.* 7. *Homo.* Opus Bonum. 1. *Via interum.* 7. *Fides.* 8.

*Visio intuitiva Dei.* Vide: *Anima.* N. 3.

Item: *Christus Dominus.* N. II.

### Vita æterna.

Vide:

O

Vide: *Catechumenus.* 1. *Beguardi.* 4. 5.  
*Immortalitas.* 1. 2. *Naturæ vires.* 1. 2. 3.

### Universitates.

Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta. Tantum prosunt Ecclesiae, quantum diabolus. *Wicleff.* 29.

Voluntas. V. *Fides N.* 21.

Voluntates duæ. V. *Via interna.* II.

### Votum.

Vota faciendi aliquam rem, sunt impedimenta perfectionis. *Mol.* 3. *Vide: forum.* 1.

### Usura.

1. Exercere usuram non est peccatum.

\* Hæc propositio damnatur; cum ex illa manifeste sequatur: Cuilibet licitum esse: exigere auftuarium, i. titulo [præcisè mutui, quod fidei repugnat. Nam in omni mutuo essentialiter datur v. gr. pecunia præsens], non nisi in futurum reddenda.

Sed

— O —

Sed, & Benedicti XIV. requisito ad mu-  
tuum tertio, mox referendo, adversatur.

Ne dicam: Propositionem eandem in sensu  
Thesis esse etiam falsam: Agitur enim in ea de  
pecunia ad censum elocata, quæ certo majoris,  
sit, estque reapse utilior, quam non elocata, cum  
quod, illa sit negotiosa, ista vero otiosa. Tum  
denique quia si exhaerens pereat, perit mu-  
tuatario, cum ab opposito: alterius periculum  
pertineat ad non elocantem,

\* Damnata est eadem propositio tamquam  
haeretica in Concilio Viennensi *sub Clem. V.*  
*I III.*

2. Licitum est mutuanti ultra sortem exi-  
gere, si se obliget, ad non repetendam for-  
tem usque ad certum tempus. *Alex. VII.* 42.

3. Cum numerata pecunia pretiosior sit nu-  
meranda, & nullus sit, qui non majoris fa-  
ciat pecuniam præsentem, quam futuram,  
potest creditor aliquid ultra sortem exigere, &  
eo titulo ab usura excusari. *Innoc. XI.* 41.

4. Usura non est, dum ultra sortem exi-  
gitur, tamquam ex benevolentia, & gratitu-  
dine

— O —

dine debitum, sed solum si exigatur, tamquam  
ex Justitia debitum. *Innoc. XI. 42.*

\* Nota: Postremas tres propositiones, ea  
potissimum de causa, damnari: Quod nulla  
earum adferat aliquem ex justis titulis, supra  
sortem a mutuatario accipiendo, sed quaelibet  
supponat: Id licite fieri posse, solius mutui  
titulo, quod tamen vetitum est, non Divino  
solum, verum etiam naturali jure; quo vi-  
delicet: rei alienae contraetatio est prohibita;  
Ceterum indubium est: dari titulos, quos mu-  
tuo extrinsecos vocamus, quibus licita red-  
datur hujusmodi exactio, suntque fere sequentes.  
1. Lucrum celsans. 2. Damnum emergens.  
3. Periculum amittendæ sortis.

Quos ipse Bened. XIV. ad illam sufficien-  
tes esse agnovit in Bulla sua: Ubi tamen 5. pre-  
scribit cautelas, quarum 1. est: Ne summa sor-  
tem excedens sit major legali, aut consuetu-  
dinaria. 2. Ut in contractu mutui exprima-  
tur titulus ille extrinsecus, ob quem superero-  
gatorium illud lucrum exigitur. 3. Ne ul-  
lus doceat: nunquam dari casum, quo  
aliquis justorum titulorum, supra sor-  
tem

— 6 —

tem accipiendo locum non habeat, seu quod nunquam detur obligatio, gratis mutuo dandi pecuniam, aut rem quamquam commodandi proximo. 4. In omni contractu mutuatorio servandam esse aequalitatem, ut nempe census non solum non superet legalem, sed & alii circumstantiis commensuretur. Secus fore: Ut si non usurae, alia certe intercedat injustitia, onus adferens restituendi.

5. Ut qui consultum velit, suae conscientiae, dispiciat prius diligenter: Verene cum mutuo, justus alter ab eo distinctus occurrat titulus, cuius beneficio lucrum illud labis sic expers:

Hac ex Bulla laudata restat solum decidendum: num praeter allegatos, similesque alios titulos, lex etiam, ac consuetudo Reip. valeat efficere: Ut licitum sit instituanti a mutuatorio, definitam ab eadem Republica summandam, supra sortem exigere? sed de hoc infra. N. 6. Hic.


5. De montibus pietatis habe verba Leonis X. in Con. Lat. V. prolatas. „Sacro approbante Concilio declaramus: Montes pietatis

tis - - neque speciem mali Præferre, neque  
ullo pacto imptobari, quin immo ineritorum  
esse, & approbari debere tale mutuum, & mi-  
nime usurarium haberi.“ *Vide: Constitutionem*  
*Leonis V. inter multiplices iuram Tom. I.*  
*Bullarii pag. 1515. item Ligor. L. 3. Tract.*  
5. N. 765.

\* 6. Atque hinc patet responsio ad quæsti-  
onem nuper propositam: Pollere nimirum: Rem-  
pub, ea potestate, qua præcisis etiam supra  
memoratis particularibus titulis, solius boni  
communis causa constituere, sive perle-  
gem sive per consuetudinem valeat; ut ali-  
quid licite exigi possit supra sortem a mutuato-  
rio, si enim jure hoc Republicam privemus,  
nec Concilio quidem Lateranensi fas fuissest ap-  
probare Montes pietatis. Quid enim est: pro-  
fervis, & necessitatibus montis pietatis aliquid  
supra sortem exigere: quam boni publici causa  
id ipsum agere. *Vide: Pichlerum in Candidato.*  
L. 5. T. 19. N. 4. seqq. & peculiariter *Lucium*  
*Ferraris, Voce: Montes pietatis;* Neque dicas:  
Benedictum XIV. adversus hos pietatis montes  
quidpiam decrevisse? Vetuit enim solummo-

Q.

do



do: Ne iis in montibus pietatis qui, deinceps erigentur, ultra sortem quidquam exigatur aut vero accipiatur. Neve in veteribus consuetus census augeatur, absque dispensatione Pontificia *V. Syn. Diæc. L. 7. c. 48. §. 2.* Ex quibus tamen ipsis, quid aliud sequitur, quam in potestate Reip. Ecclesiasticæ, juxta ac Civilis legislatorumque esse: ut exigente ita, boni publici ratione, pro alto illo, quod in bona privatorum habeant dominio definit: licitum haberi; Accipere censum a pecuniis mutuatis. Quemadmodum in Hungaria istud jam dudum practicatum esse, Jura nostra, & usus demonstrant. Illud certum ac fere infosolubile arguntum esse videtur quod Resp. utraque Sacra videlicet, & Profana approbet S. C. Macedonianum, cum nihilosecius per illud tota fors, seu mutuum integrum auferatur mutuant, & detur mutuatario, ob bonum nempe publicum, cur ergo, ob idem bonum: Resp. non posset vigesimam mutui partem *V. G. 5.* ex centum debitori datis, attribuere annuatim creditori? Nec obstat: In casu Usuræ; successu temporis non solum simplex sed etiam dupli-  
catum

catum Capitale perdi posse? quod in ca-  
su S, Consulti M. non eveniret. Nam fere dif-  
ficilius accidit: ad semel totam massam perdere,  
quam per partes paruas, duplam. Quod innui-  
ur, etiam in *Cap. unico de plus petitionibus* p.

33. Resque ipsa ostendit: cur enim Ca-  
pitalia queruntur tanto studio: nisi quia fa-  
cilius est carere censu, etiam Capitale ipsum  
ne fors superaturo quam hoc ipso subinde  
ex toto destitui.

7. Contractus Mohatra licitus est etiam re-  
spectu ejusdem personæ, & cum contractu re-  
tro venditionis prævie inito cum intentione lu-  
cri. *Innoc. XI. 40.* Vide: Maschat. Inst. L.  
3. T. 17.

\* Cujus propositionis damnationem, passim  
extendunt Doctores, uti reipsa extenditur,  
etiam ad emptionem Chirographi, Anatocis-  
mum, Paetum Anti-Chreos, cæterosque ejus-  
modi contractus usurarios. *De emplione tamen  
Nominis seu Chirographi*, quemadmodum, &  
de Anatocismo seu usura usurarum, non se-  
cundac de paeto Antichreos. Vide: iterum Lau-  
datum Maschat L. 5. Inst. Can. Tit. 19.

Ubi

— O —

Ubi leguntur etiam sequentia: „Antichresis, qua fructus ex re pignorata ultra sortem accipiuntur, tamquam Usura palliata reprobatur in Concil. Turon. & Lateran. sub Alex. III. &c. \* Unde liquet: Pactum Antichresecos Symbolizare cum Contractu hypothecario. Qui quoniam: Parte ab una; in Hungaria passim usitatur, parte; vero ab altera a Werbōczio: pro perniciose ac damnabili habetur; Idcirco opere pretium est; indagare: Qua nam ratione sit licitus, quave: Illicitus? Cui quidem quæstioni, plene ( ut opinor ) satisfacit Clar. Husztius. L. 2. §. 69.

Wicleffus. Vide: *Concilium: 3.*

\* Joannes Wicleffus Presbyter erat, & Doctor Oxoniensis, Rectorque Parochiæ de Lutterword. in Anglia. Obiit in exilio Anno 1387.

Propositiones ejus Nro 45. a Concilio Constantiensi damnatas inserui titulis superioribus pro ratione materiarum. Sunt autem qui affirment: Errores octingentis plures ex operibus ejusdem excerpti posse. Nec ex va-

no istud , cum Libros ducentos admodum  
vulgaverit adversus Romanam Ecclesiam , Pa-  
pamque cumprimis , in quem summa rabie , ad  
ultimum usque halitum invehebatur .

Sed quem ille tantopere adversabatur , ego  
filiali , & Resigiosa colo veneratione : In cu-  
jus etiam rei contestationem ; argumentum ,  
quale mihi nunc suppetit , ipso opere exhi-  
beo . Dum videlicet : omnia ea , quæ per  
decursum hujus opusculi ; ad Conciliorum , &  
summorum Pontificum oracula ex meo adjeci ,  
Sedis Apostolicæ Judicio , omnimoda cum sub-  
missione , ac observantia substerno .

### Errata notabiliora Correcta.

In Præfat. propius fin. - - ipsiſ - ipſus  
Voce: Amor puris. Lin. 18. enque - neque  
V. Anima. N. 3. l. 15. ſicuti - - ſicuti  
Ibidem. N. 5. l. 4. & - - - - ut  
Ibid. N. 8. l. 10. Omnio - - Omnino  
V. Attritio. N. 4. l. 14. Naturalam - naturalem.  
V. Concilium. N. 3. L. 1. - 42. - 45.  
Ibid. sub \* L. 6. - - - quæ - qua

V.

## Cætera corriget

**Lector benevolus: Nec sucenſebit.**

Correctori huc applicanti illud *Horattii.*

*Hic meret æra Liber solis,  
hic Mare transit,  
Et Longum nota Scriptori  
prorogat ævum.*

in Arte

**Q. A. M. D. G. B. M. V. & OO, SS. Honorem.**



DISSE R T A T I O .  
DE  
POTESTATE PRINCIPUM  
SÆCULARIUM  
IN  
CENSURAM LIBRORUM.  
CONSCRIPTA  
AB EMERICO VAJKOVICS.  
ELECTO  
EPISCOPO ALMIŠIENSI, ET PRAEPOSITO  
MAJORE AC CANONICO COLOCensi,  
NEC NON  
REGIO LIBRORUM CENSORE EMERITO.



---

COLOCÆ. Impressit Fr. Frid. Neuner e S. P. 1791

